Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155767-p0001-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155767-p0002-0

F. 9. num. 36.
10
21
1750, 2.
P. 337

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,

DE

# REVOCATIONE FEUDI MECKLENBURGICI,

POST ADDICTIONEM,
IN CONCURSU SOLENNI, CREDITORIBUS
FACTAM,

QVAM,
DEO T. O. M. JUVANTE,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO FRIDERICO,
DUCE ET PRINCIPE HEREDITARIO MECKLENBURGICO,
PRINCIPE VANDALORUM, SVERINI ET RACEBURGI,
COMITE ITEM SVERINENSI, TERRARVM ROSTOCHII ET
STARGARDIÆ DOMINO,
DOMINO NOSTRO LONGE CLEMENTISSIMO,
IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI,
EX DECRETO
AMPLISSIMI JURECONSULTORUM ORDINIS,
PRÆSIDE
Dn. ERN. JOH. FRID. Mantzel,
SEREN. DUC. REGN. CONSIL. CANCELL. ET CONSIST. PANDECT. PROF. O.
COM. PALAT. CÆSAR. ET FACVLT. DECANO ATQVE SENIORE,
ANNO MDCCL. d. XXII. SEPTEMBRIS,
H. L. Q. C.
PRO LICENTIA,
OBTINENDI GRADUM ET PRIVILEGIA, DOCTORIS,
IN UTROQUE JURE,
ERUDITORUM CENSURÆ SUBMITTIT,
AUTOR,
CARL KRüGER,
DOBERANO-MECKLENB.
CANCELL. DUC. MECKL. SVERIN. ADV. ORD.

KOENFRIED UNIVERS ZU HALLE

Roſtochii, Typ. J. J. ADLERI, SEREN. PRINC. AUL. & ACAD. TYPOGR.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155767-p0003-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155767-p0004-1

# INGRESSUS.

Cum difficile non ſit, in tanta juris noſtri ubertate, quæſtionem aliquam, vel cauſam, invenire, quæ ſpeciali diſquiſitione digna habeatur; mihi quidem illud præ ceteris placuit indagandum, quod in patria cariſſima ſæpius quæſitum memini: *An feudum mecklenburgicum creditoribus, in concurſu, per ſententiam diſtributionis, addictum, revocationi agnatorum ſit obnoxium?* Quod ſi enim vere dixit BERLICH *P.* 2. *Concl.* 57. *n.* 1. *Si quæ unquam materia in univerſo jure feudali extat, quæ magis ſit controverſa, dubia & perplexa, ea erit, quæ de feudi alienati revocatione tractat*; operæ pretium facturus videor, ſi id agam, ut, quid hac de re, noſtro jure, obtineat, dilucidem. Ad antiqua reſpicientes tempora, dubios usque adeo invenimus in patria noſtra revocationum feudalium limites & uſus, ut Sereniſſimo quondam Principi ULRICO, gl. m. circa annum 1581. ex vaſallis ſuis inter alia quærenti: Ob der Sohn oder Vater Macht habe, das Lehn, ſo ſein Vater oder Vettern einer, mit oder ohne Conſens



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155767-p0005-7

des Lehns-Herrn, veräuſſert, zu revociren, und wie weit ſich ſolches auf alle Fälle erſtrecken ſolle? Hi reſpondere non dubitaverint: **bey der 26ſten Frage wiſſen wir auch von keinem beſtändigem Landes-Gebrauch.** S. Gerdes Sammlungen Mecklenburgiſcher Schrifften und Uhrkunden, 2tes Stück, *n.* 11. *p.* 83. *quæſt.* 26. *&* *pag.* 86. *ibique Reſponſum ad d. quæſt.* Poſt hæc tempora, ex legibus ſcriptis, rem feudalem concernentibus, eo res deducta eſt, ut, quoad uſum revocationis, dubitare nefas ſit. Limites autem ejus, in wie weit ſich dieſelbige auf alle Fälle erſtrecken ſolle, ad hoc usque tempus jure ſcripto comprehenſos invenire nondum licuit, præſertim ſi ad quæſtionem propoſitam reſpexeris. Supereſt igitur, ut conſuetudinis & obſervantiæ prima habeatur ratio; Quod ſi feceris, nihil obſtare puto, quo minus noſtra faciamus verba viri quondam conſultiſſimi, in foro ad canitiem usque verſati, neque ita pridem defuncti, qui hac de re conſultus, poſtquam theſin negative firmaverat, pro ea, quæ in ipſo erat gravitas, ita MStum ſuum finivit: Zu bedauren iſt es nur, daß dem allen ungeachtet, dieſer Satz ſo offt angefochten werden wollen, und Implorantes einmal vor allemal nicht abgewieſen, mithin eine warhaftig feſt ſtehende Regul dennoch öfters angefochten werden müſſen. Sed jam ad rem: Quamvis autem mihi ubique curandum in hac cauſa putaverim, ut omnes fere disputatio circa jus patrium verſetur, erunt tamen quædam generaliora, quædam ſpecialiora: De illis primo, de his ſequenti capite agendum. Faxit Deus feliciter!

CAP.

# CAPUT I.

## TRACTANS GENERALIORA.

### §. I.

Non vacat, prolixiorem eſſe, in explicanda eſſentia ac natura feudorum, nec lubet inde promanantibus diviſionibus immorari. Illud notaſſe ſufficiat, deficientiam vel immutationem naturalium qualitatum varias peperiſſe impropriorum feudorum ſpecies. TITII teutſches Lehn-Recht, *cap.* 5. §. 4. & 5. inter quas eminet feudum, abſolute hæreditarium, ubi omnia naturalia ceſſant, ſalva interim, quæ in fidelitate ſingulari conſiſtit, eſſentia. STRUV. *S. I. F. cap.* 4. *aph.* 13. *in Exegeſi n.* 2. & GAIL. *lib.* 2. *Obſerv.* 154. *n. ult.* Quod ſi vero feudum, præter fidelitatem præſtandam, in quibusdam allodii qualitatem retinuerit, in nonnullis vero feudorum naturam ſequatur, nomine feudi hæreditarii, ſine addito, venit idemque mixtum audit, propterea quod nonnihil ex feudis, quæ vocant ex pacto & providentia, habet admixtum. *vid. præter ceteros* TORNOV. *de feud. mecklenb. C.* 2. *Sect.* 2. §. 4. & *Eques mecklenb. de* BERNSTORF *ſub præſ. B. Engelbrecht, de ſingul. feud. Mecklenb. Jur. Sect. I.* §. 9. S. STRYK *Examen J. Feud. cap.* 4. *qu.* 45. 46 & 50. Sunt autem hæc, quæ dixi, mixta feuda, non unius generis, ſed mirum in modum variant.

*Feudorum diſtinctio, in hæreditaria ſimpliciter talia & mixta.*

§. II. Ad feuda, quod attinet, mecklenburgica, conſtat, eadem a communi feudorum natura nimium quantum recedere, id quod abunde teſtantur tot ſingularia, quæ non modo cit. *Dnus de* BERNSTORF ſpeciali diſſertatione, ſed TORNOVIUS etiam, JCtus patrius, integro tractatu proſecutus eſt. Unde ſcriptoribus domeſticis pariter ac extraneis paſſim feuda noſtra vocantur impropria, anomala, mixta. COTHMANN *Vol.* 1. *C.* 2. *n.* 308. TORNOV. *d. tract. cap.* 2. *Sect. I.* §. 4. Non mere hæreditaria, ſed potius mixta ſunt. Unde jus re-

*Feuda mecklenburgica qualia?*

 vocandi,

vocandi, ex æris alieni patientia & alienandi licentia derivandum, ſcite umbram vocat. COTHMANN. *Vol.* 3. *R.* 3. *n.* 1.

*Fontes juris feudal. Mecklenb.*

§. III. Quoadusque autem illa, quam dixi, hæreditaria qualitas, mixtura & anomalia pateat, quidve ex naturalibus feudorum requiſitis vel adſit, vel abſit, tantum abeſt, ut ex jure feudali communi cognoſcatur, ut potius ex jure noſtro provinciali, ſive illud ſcriptum ſit, ſive non ſcriptum, hauriri debeat. de BERNST. *d. l.* §. 6 & 7. Jure ſcripto non quidem in totum deſtituimur, ſed ſparſim illud tantum invenimus, per nonnullas Conſtitutiones, Reverſales, Reſolutiones gravaminum & ordinationes judiciorum &c. disjectum. *vid.* TORNOV. *p.* 1. *cap. II. Sect. I.* §. *V. ſqq.* Latius ſerpit jus non ſcriptum, præſertim cum ea ipſa, quæ publice conſtituta deprehendimus, maximam partem teſtimonia potius inveteratæ conſuetudinis, des beſtändigen Herkommens, quam leges ſcriptas vere ſic dictas eſſe, in propatulo ſit. Unde tota fere res redit ad conſuetudinem, ut aſſerere non dubitem, veriſſimum eſſe de patria noſtra, quod vulgo dicitur: feuda magis conſuetudine regi, quam jure, *cap.* 1. §. *in judicio. De cognit. feud.* GAIL, *L.* 2. *Obſ.* 140. *n.* 9. & 149. *n.* 10. Præcipuam conſuetudinis rationem eſſe habendam aſſero, non tamen reliqua cognoſcendi & decidendi principia excludo. Qualis autem in decidendis controverſiis feudalibus ordo ſervandus ſit, nihil neceſſe eſt, plurimis exponere. Non video, cur a ſcala undecim graduum, quam nuper ſtruxit Dn. D. PELE *in diſſ. inaug. ſub hoc eodem præſidio habita, de concurſu adſcend. & collat. in ſucc. feud. p.* 7. recederem.

*Præcipuus eſt jus non ſcriptum.*

*Vox conſuetudinis ac obſervantiæ determinatur.*

§. IV. Conſuetudinis ac obſervantiæ injecta mentio requirere videtur, ut addam, ſynonyma mihi eſſe has voces, licet inter ſe differre non ignorem. Dn. QVISTORP. *Diſſ. inaug. Præſide mecum eodem hab. de jure ex uſu. Sect. I.* §. 7 & 16. Ubique, ut breviſſimis me expediam, jus non ſcriptum intelligo, vulgo ein beſtändiges Herkommen und Gewohnheit, quæ voces in jure patrio, maxime ubi de feudis agitur, hoc

ſenſu

ſenſu ſæpiſſime occurrunt. *conf. Reverſal de an.* 1621. § 15 & 28. *Reſolut. ad Gravam. Polit.* 6. *& ad Gravam. Judic.* 11. *& in additam. Claſſ.* 1. *Grav.* 5. *nec non Grav. ſpec. Suerinenſ.* 3. *ibique Reſolut.* Quanquam enim vox Herkommen, alias jus traditum, i. e. olim promulgatum, ſed non niſi ex traditione ad poſteros translatum, ſignificet. BOEHM. *Introd. in Jus Dig. L.* 1. *T.* 3. §. 18. Conſuetudinis tamen jure cenſebitur, ubi de illa promulgatione antiquitus facta parum conſtiterit. Coincidit cum hac voce phraſis, der Gebrauch dieſes Fürſtenthums, in *Reverſal.* §. 25 & 26. occurrens.

*Cur potiſſimum feuda Mecklenb. dicantur mixta.*

§. V. Relatis his principiis, ſequitur, ut per inductionem & collationem, ex iis ipſis hauriatur ac definiatur, quantum feuda megap. a feudis ex pacto & providentia divortium faciant, unde mixta dicantur. Ita enim ſecundum jura noſtra provincialia feuda æri alieno inſtar allodii habentur obnoxia. TORNOV. *cap.* 4. §. 2. MEV. *Conſ.* 96. *n.* 38. atque ob id, obſervatis obſervandis, vel in ſolutum dantur, vel venduntur, vel qua alia ratione alienantur. COTHM. *Vol.* 2. *Reſp.* 18. *pr. & Reſp.* 75. *n.* 34. Qualecunque illud ratione initii ſit, ſive voluntarium, ſive neceſſarium. ID. *Vol.* 3. *Reſp.* 18. *n.* 23. *& Reſp.* 31. *n.* 38. *ſq.* Imo pariter ac allodia adjudicantur creditoribus, utut feudorum non capacibus, MEV. *Conſ.* 36. *n.* 95. & concurſu exiſtente publice ſubhaſtantur ac venduntur. LINDEMANN. *Exerc. feud.* 3. *cap.* 8. *n.* 57, ex quacunque promiſcue cauſa, non modo abſque conſenſu agnatorum, TORNOV. *cap.* 4. *S.* 2. §. 11. ſed etiam invitis ſucceſſoribus, niſi hi æs alienum ſolvant. COTHANN. *Vol.* 2. *Reſp.* 75. *n.* 39. Quæ omnia tam notoria ſunt, ut neminem, niſi praxeos noſtræ megapolitanæ plane ignarum, latere poſſint. TORNOV. *cap.* 3. *Sect.* 1. §. 12. Jam vero ex his aliud ſequitur, in feudis noſtris non ſuccedi primo acquirenti, ſed ultimo Vaſallo, cujus factum præſtare tenetur ſucceſſor, licet non in omnibus, certo tamen reſpectu. Id. *cap.* 2. *Sect.* 2. §. 5. maxime quoad æs alienum, quod cum feudo tranſit in agnatum ſucceſſorem. Præterea plurima alia, a jure communi deviantia, quorſum

 etiam

etiam referendum jus illud uſusfructus virginum nobilium, *vid. Reverſal. de* 1621. §. 27. *ſq. & ſcriptores ſpeciales.* Illa enim proprie tantum ad ſcopum meum pertingunt, quæ de ære alieno ejusque effectibus breviter recenſui.

*Revocatio quæ?* §. VI. Poſt hæc ad revocationem feudi pedem promoveo, qvæ, generaliter ſumta, eſt jus agnatorum, recuperandi feudum a Vaſallo per alienationem translatum. Vox *agnati* mihi hic etiam filium comprehendit, *conf. L.* 12. *ff. de ſuis & legitim. hæred. Translatum* autem ideo poſui feudum, ut excluderem jus protimiſeos, in ſpecie ſic dictum, qvod competit, ad impediendum contractum, STRYK *Ex. J. F. cap.* 20. *qv.* 3. De illo enim mihi ſermo non eſt. Fit ea, qvam definivi, revocatio, vel ſolo ſanguinis, ROSENTHAL. *de feud. cap.* 9. *concl.* 88. *n.* 9. vel delatæ ſucceſſionis jure. Illo qvidem caſu, jure retractus: Hoc vero, in ſpecie dicitur revocatio. *Conſ. Tubing. Vol.* 3. *Conſ.* 313. *n.* 62. STRUV. *S. J. F. cap.* 13. *aph.* 15. STRYK. *d. l. qv.* 2. ſeu vindicatio utilis, STRUV. *d. l. aph.* 17. Supponit utraqve revocatio jus qvoddam agnatorum relativum ad feudum, cui conſeqvens eſt, ut, ceſſante illa relatione, adeoqve fundamento ſublato, ipſa qvoqve ceſſet revocatio, cum in relatione, qvæ intercedit inter vaſallum & rem in feudum datam, eſſentia juris, qvod vaſallus tenet, conſiſtat. STRUV. *S. J. F. cap.* 2. *aph.* 3. *n.* 3. & Joh. NELDEL *part. log.* 4. *partic.* 5. *c.* 5. *part. princip. in fin.* Uſus hujus principii infra patebit.

*Quotuplex?*

*Supponit jus relativum ad feudum.*

*An in feudo megap. obtineat revocatio?* §. VII. Jam ad qvæſtionem: *Utrum, in feudis megapolitanis revocatio obtineat?* me confero. Non deeſt qvod, qva actionem revocatoriam in ſpecie ſic dictam, pro adſtruenda negativa dici poſſet, ſi in priora ſecula regrederemur & ea, qvæ anonymus qvidam, *Dno* GERDESIO, ein gelehrter Mecklenburgiſcher von Adel vocatus, in ſeinen unmaßgeblichen Gedancken über den Articul XXIX. der Meckl. Reverſal. de ao. 1621. (S. Gerdes neundte Sammlung ſub No. IV.) hanc in rem paſſim adduxit, conferremus, & adductam ſupra declarationem ordinis Eqveſtris urgeremus, deinde verbum *revoci*

ten, qvod occurrit *in d. art.* 29 *Reverſal.* de revocatione, qvæ fit jure retractus, explicemus. Sed parvi hæc omnia ſunt, cum Cothmannus ſuo jam tempore, deinde Mevius & Tornovius aliiqve paſſim de revocationis uſu in Megapoli teſtentur, qvibus praxis nunqvam adverſatur. *Vid.* COTHM. *Vol.* 3. *Conſ.* 18. *n.* 1 & 7. MEV. *Conſ* 4. *n.* 48. TORNOV. *C.* 4. *S.* 2. §. 1 *ſeq. add. project.* des Meckl. Lehn-Rechts *Tit.* 21. item das a *Dav.* MEVIO entworffene Mecklenb. Land-Recht, *P.* 2. *Tit.* 9 Leg. omnino *Dn.* MAYOHL *Comment. jur. feud. de revocatione & retractu, ſecundum Jus commune & Mecklenb. ed.* 1747. Largiamur itaqve utrumrevocandi modum, tam retractus, qvam delatæ ſucceſſionis jure competentem, in Megapoli non eſſe extra uſum, feudaqve ei eſſe, ſuo tamen modo, obnoxia. Adeoqve *Reverſal. art.* 29. *ibi :* in keine wege *revociret,* de utraqve ſpecie intelligamus, qvemadmodum jus protimiſeos *in Reverſal. de ao.* 1572. *art.* 8. *verbis* : doch daß daſſelbe Lehn den nächſten Agnaten zuvor angebothen werde, ſatis fundatum reperimus. Ceterum, revocatio ex capite delatæ ſucceſſionis, de jure communi fit nullo refuſo pretio. 2. *f.* 26. §. *Titius.* Secus autem obtinet in feudis mixtis, æri alieno obnoxiis, qvæ, ſi ob æs alienum diſtracta fuere, non niſi cum illius onere revocari poſſunt. COTHMANN *Vol.* 2. *Rſp.* 75. *n.* 36. *Hartm.* PISTOR. *L. I. qv.* 15. *n.* 105. MEV. *Conſ.* 38. *n.* 58. id qvod de Megapoli in ſpecie teſtatur TORNOV. *d. l.* §. 10. Hæc vero ultra caſum, qvando ob æs alienum alienatur feudum, non ſunt extendenda, ſed qvando alienatio feudi, absqve tali neceſſitate fit, illud etiam absqve onere reluendi poteſt revocari. IDEM *d. l.* & *Cap.* 2. *Sect.* 1. §. 15. *add.* STRYK. *Diſp. Hallenſ. Vol. II. D. XVII. Caſ. IX. n.* 16.

*Revocatio-nem excludit renunciatio.*

§. VIII. Ceſſat revocatio feudi, de jure communi, multis modis, qvos omnes recenſere nihil neceſſe eſt. Pertinet huc, inter alia, renunciatio. In vim renunciationis, non minus qvoad retractum, qvam qvod revocationem, κατ᾽ ἐξοχὴν ſic dictam, *Conſ. Tub. Vol. III. c.* 313. *n.* 62 & 63. valet conſenſus

*& conſenſus in alienationem.* ſenſus in alienationem 2 *f.* 26. §. *Titius.* 1 *f.* 5. §. 1. 2 *f.* 39. *ibi : niſi conſentientibus.* Qvi, etiamſi ex poſtfacto demum ratihabendo acceſſerit, ROSENTHAL *cap.* 9. *concl.* 77. *n.* 3. non conſentientes modo, ſed etiam poſteros eorum, in perpetuum excludit. TITIUS *de J. priv. lib.* 11. *c.* 11. §. 12 *&* 20. *Hartm.* PISTOR. *lib.* 2. *part.* 1. *qv.* 7. *n.* 42. *ſq.* *&* *n.* 50 *ſq. ad fin.* STRUV. *S. J. F. cap.* 13. *aph.* 19. *n.* 1. *in Exegeſi.* VULTEJ. *de feud. lib.* I. *c.* 11. *n.* 102. TITII **teutſches L. R.** *c.* 17. §. 48. Eſt ille conſenſus, ſive tacitus, *etiam tacitus & fictus.* ſive expreſſus, TITIUS *d. l.* §. 45. Occurrit alia conſenſus ſpecies, præſumtus ſcilicet, ſeu fictus, hoc loco non prætereundus. Oritur ille immediate ex Lege, qvæ conſenſum fingit, ubi nullus adeſt. *Vid. Tit. J. de Oblig. qvæ qvaſi ex contract. oriunt. L.* 13. *§. fin. ff. Commodati.* §. *fin. J. de Obligat.* Inducitur hujusmodi præſumtio, vel ex æqvitate, vel utilitate communi. HEINEC. *Elem. jur. civ. ſecund. ord. inſtit.* §. 779. *not.* *. Atqve obligat non modo ignorantes & invitos *§.* 1. *J. de obligat. qvæ ex qvaſ. contr.*, ſed etiam eos, qvi nec conſentire, *L.* 46. *ff. de Oblig. & act*, nec ſe obligare poſſunt. *L.* 66. *in f. de Sol. L.* 1. §. 15. *Depoſit.* Unde differentia ejus a tacito conſenſu facile patet. *Vid.* HOPP. *in Comm. ad pr. J. de Obligat. qvæ qvaſi ex contr.* BOEHM. *Introd. in J. D. Tit. de Pact.* §. 14. 15. Nota præterea eſt regula, qvod fictio in caſu ficto idem operetur, qvod veritas in caſu vero, *§.* 1. *J. de Nupt. L.* 14. *ff. Locati L.* 1. *de Adopt.* EVERHARD. *in loco, a vi fictionis.* Uſus autem hujus conſenſus ficti in toto jure civili eſt ampliſſimus. Sed in feudis qvoqve obtinet & ſpectatur in omnibus cauſis feudalibus licitis, ex qvibus ſine vera eorum, qvorum intereſt, approbatione ex conſenſu legibus aut moribus propter æqvitatem inducto ſeu præſumto valida naſcitur obligatio & actio. SPALDING *in Diſp. Jenenſi ſub præſid. Beckiano habita, de Conſenſu feudal.* § 41. *conf.* COTHM. *Rſp.* 91. *n.* 43. Unde non dubito, poſſe agnatos, etiam in Megapoli, pro conſentientibus haberi, licet vere non conſentiant. Exempla non deficiunt.

Ita

Ita enim Agnati, qvoad æs alienum, ipſis ignorantibus, vel invitis, a Vaſallo conflatum, pro conſentientibus habentur. ROSENTHAL *cap.* 9. *M.* 1. *concl.* 16. *n.* 14. 15. 16. fingitur enim moribus & conſuetudine conſenſus, SPALDING *d. l.* Ita pariter agnati, qvi Vaſallo, ob æs alienum diſtrahere feudum cupienti, contradicunt, neqve tamen æs alienum ſolvunt, conſentire præſumuntur, imo pro conſentientibus declarantur, neqve poſtea cum jure ſuo protimiſeos aut revocandi audiuntur *de* BERNSTORF. *d. Diſſ. Sect.* 2. §. 18. *ibiqve cit. Tornov.* Non minus ex deinceps dicendis apparebit, agnatos, moto concurſu tempeſtive non venientes feudumqve liberantes, æqve repelli in poſterum, ac ſi vere conſenſiſſent.

*An ceſſet revocatio in feudis hæreditariis?*

§. IX. Prorſus præterea ceſſat revocatio, ſpeciatim ſic dicta, in feudis mere hæreditariis. STRYK *Ex. J. F. c.* 20. *qv.* 11. tam in filiis alienantis, qvam agnatis, ſive feudum antiqvum fuerit, ſive novum, ſive inventarium confectum fuerit, ſive minus, ſive alia præter feudum bona adfuerint, ſive nulla. BERLICH. *P.* 2. *Concl.* 57. *n.* 3. 10. 11. 59. *&* *Concl.* 55. *n.* 9. (qvod tamen non per omnia ſeqvitur projectum des Mecklenb. Lehn=R. Tit. 21.) neqve de feudis mixtim hæreditariis diverſum ſtatuendum eſſe probat IDEM *c. l. &* MEV. *Conſ.* 38. *n.* 63. *ibiqve largiter cit. DD.* Qvi diſſentiunt, innituntur potiſſimum *c.* 1. *Tit. an agn. vel fil. def.* Sed nihil agunt, cum iſte textus ad hoc genus feudi, Longobardis plane incognitum, BERLICH *d. concl.* 57. *n.* 8. non pertineat, *d. concl.* 55. *n.* 4. Satis erudite qvidem hæc omnia a Berlichio diſputantur, ejusqve ſententiam juri & rationi conſentaneam probant qvam plurimi; Cave tamen, ne crude eam ad qvævis feuda mixta applices. Eſt enim ea, qvam dicimus, mixtura non unius modi. Ad mores potius & ſtatuta loci rei ſitæ reſpiciendum erit, ut vere judicare poſſis, qvantum valeat hæreditaria qvalitas feudis admixta, qvantumve ex pacto & providentia majorum participent, hinc, qvoadusqve pateant revocationis limites & uſus. Certe in Megapoli mixta ſunt feuda, ſed revocationi locum eſſe non dubitant. *Vid. ſupr.* §. *II & VII.*

*De alienatione neceſſaria.*

§. X. Vertitur inter Doctores qvæſtio: *Utrum, poſt neceſſariam alienationem revocatio ulla permiſſa ſit?* qvam prætermittere inſtituti ratio non ſinit. Accepimus enim, a majoribus noſtris, diſtinctionem, inter onus feudi & Vaſalli, illud, qvod etiam debitum feudale dicimus, vel ſimpliciter ex feudo, vel in ſubſidium ſaltem ex eo, debetur. Hoc vero, qvod alias allodiale ſeu hæreditarium audit, tantum hæredes allodiales afficit. *Vid. Dn.* MOELLER *in Uſ. Pract. Diſtinct. feudal. cap.* 21. *Diſt.* 1. 2 *&* 3. Ita de jure communi. In Megapoli feuda cuivis æri alieno obnoxia eſſe conſtat, nec lex vel conſuetudo permittit, ſuccedere in feudo, niſi id fiat ita, ut onus vaſalli ſit, qvod onus feudi ex lege provinciali factum. MEV. *Conſ.* 38. *n.* 37. Hæc conſideranti non diſplicebit, omne æs alienum a vaſallo Mecklenb. contractum, diſpertire in illud, qvod feudo per ſe inhæret, & illud, qvod in ſubſidium ex eo ſolvendum, aut, ſi mavis, in debita feudi neceſſaria & ſubſidiaria. De qvo non alienus eſt *Dn.* MOELLER *in Uſ. pract. Diſt. feud. cap.* 21. *Diſt.* 3. *in fin.* Idemqve probat MEV. *in Tract. diſcuſſ. levam. inop. debitor. cap.* 7. *n.* 183 *&* 184. Videtur hæc diviſio ſatis adæqvata, ſiqvidem poſteriori ſpeciei etiam debita, qvæ alias Vaſalli eſſe dicuntur, ſubſunt. Neqve tamen ſubdiviſione opus eſſe putavi. Qvamvis enim inter debitum feudi ſubſidiarium & debitum Vaſalli, etiam in Megapoli, hoc tamen intereſſe putet TORNOV. *Cap.* 3. *S.* 1. *§.* 18. *p.* 418. qvod hoc in concurſu Creditorum illi ſit præferendum, adeoqve hæc diſtinctio etiam in feudis noſtris uſu haud plane deſtituatur; Id tamen mihi non liqvet. Neqve præjudicium, qvod refert *idem cap.* 3. *Sect.* 2. §. 18 *&* 19. id inferre aut ſatis probare videtur. Non licuit mihi in ſententiis prioritatis reperire, alium ordinem ſervari, qvam qvi in allodio receptus eſt, neqve ſciſcitando, ex verſatiſſimis practicis, aliud edoctus ſum. Imo illa ipſa, qvam conſtitui, diviſio, inter ſubſidiaria & neceſſaria feudi debita, tantummodo extra concurſum locum invenire non incongrue dici poſſet. Moto enim concurſu debitor ſolvendo eſſe aut allodium ſuppetere

*Diſtinctio debitorum feudal.*

non

non præſumitur nec, qvod ego viderim aut audiverim, vel in collocandis creditoribus vel in diſtribuenda maſſa ulla allodialis hæreditatis ſeparata habetur ratio.

§. XI. Jam facile eſt dictu, qvatenus qvævis debita, licet non raro voluntariam habeant originem, in feudis megapol. ſint neceſſaria. Primo ſc. reſpectu feudi ipſius, qvod illis facto Vaſalli pro libitu ſubjicitur. Deinde ratione agnatorum, qvi eadem indiſtincte agnoſcere coguntur, tum qvoqve ratione effectus, qvi feuda noſtra, invitis etiam & renitentibus agnatis, propter debita diſtrahi, vendi, in ſolutum dari atqve addici jubet, autoritate nonnunqvam judiciali. Ex qvibus non poteſt non ſeqvi, ut ejusmodi alienatio habeatur neceſſaria, tanqvam neceſſarius, neceſſariæ cauſæ effectus. Recte igitur, meo qvidem judicio, in feudis megap., & ſi qvæ ſint ſimilia, ob æs alienum *neceſſariam* fieri alienationem probant. MEV. *Conſ.* 38. *n.* 66.67 *&* 96. *Conſ.* 39 *n.* 69. *Dn.* ENGELBRECHT *Reſp. Gryph.* 35. *n.* 97. COTHM. *Vol. I. Conſ.* 18. *n* 23 *&* 25, *& in ſpecie* PRUKMANN *Vol. I. Conſ.* 4. *n.* 37. *ſqq.* Idem de Pomerania docet STRYK. *de feud. Pom. cap.* 3. §. 23. *& ſqq.*

*Qvatenus qvævis debita in feudo Meckl ſint neceſſaria*

§. XII. Poſt alienationem qvamcunqve neceſſariam an ſuperſit revocatio? anceps eſt qvæſtio. Exulare eam multis rationibus, ſat ſtringentibus, evincunt, tam qvoad retractum, RICHTER *P.* 2. *D.* 76. *n.* 105. MARTINI *Comm. for. Tit.* 39. §. 11. *n.* 213. BERLICH. *dec.* 98. *n.* 6. *& D.* 123. *n.* 3. SCHRADER *de feud P.* 8. *c.* 7. *n.* 34. STRUV. *Dec. Sabb. cap.* 8. LYNCKER *Dec.* 964. *Reſp.* 11. *n.* 6. *ſeq. & ab illis cit.*: qvam qvoad revocationem in ſpecie ſic dictam, SCHRADER *d. l.* DEC. *Conſ.* 301. CORN. *lib.* 2. *Conſ.* 166. *n.* 26. PRUCKMANN *Vol.* I. *Conſ.* 4. *n.* 35. COTHM. *Vol.* 2. *Conſ.* 75. *n.* 44. Eamqve ſententiam late deduxit, & rationi conformem in feudis mixtis, æri alieno obnoxiis, hinc alienabilibus, multis argumentis confirmat MEV. *Conſ.* 38. *n.* 39. atqve ut infallibilem tradunt *JCti cit. ab eod. d. Conſ.* 39. *n.* 33. ipſe vero eandem ſic demonſtraſſe ſe aſſerit, ut omnibus ratione præditis

*An poſt alienationem ſuperſit ad revocandum actio?*

 ſatis-

ſatisfeciſſe exiſtimet, *ibid. n.* 31. Rationes, qvi indagare cupit, adeat JCtos citatos, inprimis Mevium. Sunt eæ maximi ponderis, &, ſi feudorum noſtrorum naturam eorumqve omnimodam æris alieni patientiam curatius inſpexeris, haud invitus ipſas ſeqveris. Non deſunt tamen, qvi diſſentiant. *Vid. Reſponſ. Gryphicum, qvod eſt qvartum, inter Conſilia Mevii poſthuma n.* 130. Cujus diſſenſum tamen magnopere non curo, utpote ex errore ortum, ac ſi nullibi tam indefinita conſuetudo obtineret, qvod omne debitum, ex qvavis cauſa factum, ſit ex feudo ſolvendum. *Vid. n.* 150. *ibid.* Jam vero illud ipſum, qvod talis conſuetudo utiqve hic obtineat, in confeſſo eſt apud omnes. *Add. Nr.* 1. *adj. Vide tamen ſelect. jurid. Roſtoch. faſc. I. pag.* 300. *qv.* 5. *Item Jus Mecklenb. & Lubec. illuſtr. Cent.* 3. *jud.* 86. ubi pro revocatione in Megapol. admittenda, reſponſum: Qvod ſpecialiori aliorum diſqviſitioni relinqvimus.

*Specialis determinatio objecti hujus diſſert.*

§. XIII. Nec animus eſt, nec inſtituti ratio patitur, ulterius hæc exeqvi, præſertim, cum in generalibus longior jam fuerim, quam vellem. Qvare, ut tandem cauſam, qvam propoſui, agam, ſecernenda mihi eſt *alienatio neceſſaria, qva feudum, moto ſolenni concurſu, creditoribus per ſententiam addicitur*, a reliqvis alienationibus, qvæ fiunt a Vaſallo, urgente qvidem ære alieno, ſed extra Concurſum, per venditionem, vel in ſolutum dationem privatam. *Nam de priori iſta alienatione ſuſcepta eſt hæc diſputatio, ut poſt illam revocationi locum non eſſe probem.* Plurima nitor autoritate, ut paulo poſt patebit, unde mireris haud immerito, qvi fiat, ut hæc mea theſis, tot tantisqve ſuffulta ſuffragiis, etiamnum in dubium vocetur, atqve, prout cuiqve e re ſua viſum eſt, vel oppugnetur in foro, vel propugnetur. Qvoniam igitur id mihi ſumſi, ut, qvid vere obtineat, non autoritate ſola ſtabiliam, ſed rationibus confirmem, tum diſſentientium rationes confutem, caſus deniqve ſpeciales ac obſervationes ſubjungam, placet ſeqvens caput in tres ſectiones diſtributum ſiſtere.

CAPUT

# CAPUT II.

## EXHIBENS SPECIALIORA.

Prius noſtra firmemus, deinde objecta confutemus, juxta monitum Iſidori, quod refert BRUNNEM. *Conſ. ult.* n. 85. Sit igitur

## Sectio I.

### *De rationibus, theſin firmantibus.*

§. I. Pactis & inveſtituræ legibus primum deberi locum, in decidendis controverſiis feudalibus, monitum eſt omnibus Feudiſtis commune, ſed vix eſt, ut in illis hoc punctum defi niatur. Succedit jus ſcriptum provinciale. At neque in eo invenire potui, quod litem meam deciderer. Ne projectum quidem juris feudalis Mecklenb. quod tractatui ſuo præfixit Tornovius, hunc caſum in ſpecie complectitur. Ceterum, quicquid ex eo, ſaltem per conſequentiam argumentando, elici poſſit, non curo, cum non legali modo autoritate deſtitutum, ſed adeo allegari ſit plane prohibitum per Conſtit. d. 4 Dec. 1704. quam *vid. apud eund. Torn. P. I. pag.* 145. *Pacta, inveſtitura & jus ſcriptum hic nihil definiunt.*

§. II. Ceſſante ergo utroque hoc principio, tantum abeſt, ut ſtatim ad juris communis (quanquam nec in eo, præter varias Doctorum opiniones quicquam certi inveniri putem) placita recurramus, ut potius, quid conſuetudo ac obſervantia provinciæ ferat, intuendum indeque deciſio formanda ſit. Nam conſuetudini revocationem impedienti ſtandum eſſe docet ROSENTHAL. *de Feud. cap.* 9. *concl.* 58. *n.* 40. modo legitime probetur. *Ibid. n.* 35. *in fin.* Exempla, ubi, facta cum conſenſu domini directi alienatione, nulla revocandi vel retrahendi facultas remanet, refert, *idem d. l. n.* 41. *ſeq.* Eandem conſuetudinem in Germania paſſim vigere, præter de LUDOLFF *in ſupplem. obſerv. for. Coroll.* 11 *pag.* 436. teſtatur in terminis WESENBEC. *in paratitl. ff. Tit. de reb. autor. jud. poſſid. in fine.* Ibi: *Vidi tamen ſæpius, decernente domino* *Reſpiciendum ergo ad conſuetudinem.*



„*feudi,*

*„feudi, propter æs alienum pro ſolutione creditoribus feudum „concedi aut diſtrahi in perpetuum, omni ſpe ſucceſſionis agnati „præciſa, idque rationi & æquitati maxime eſt accommodatum: „Ne agnati hæredes cum damno creditorum ſucceſſionem lucren- „tur, quorum cauſa debet eſſe potior. L. 39. §. bona de V. S. L. ult. §. licentia. de jure deliber.* Quem referunt MüLLER *ad Struv. S. J. C. Ex. 44. th. 30. lit. γ. &* ROSENTHAL. *cap. 9. concl. 67. n. 7. not. marg. †. add.* HAHN *ad Weſenbec. d. l.* Unde conſpicuum eſt, & tolerari & approbari talem conſuetudinem.

*Obtinet talis conſuetudo in Megap. ex teſtimoniis DD.*

§. III. Idem de Megapoli noſtra in ſpecie dicendum eſſe, ex notoria praxi, teſtantur ſcriptores domeſtici. Dominus GUTZMER *ſub præſid. b. Mülleri in diſſertat. Roſtochienſi de adjudicat. ejusque præparat. & effect. in Megapoli th. 39. ſq. Dn.* ZURNEDDEN *in poſit. inaug. ſub præſid. Eod. poſ. 17. Dn.* DUVE. *in Disput. inaugur. ſub præſ. Mantzelii de ſingul. in Megapoli circa concurſ. Creditor. §. 33.* Dn. BESELIN *in disput. inaug. ſub præſ. Steinii de Reluitione feudi oppignorati, cap. 4 §. 4 & 5.* & noviſſime *Dominus* MöLLERUS *in uſu pract. diſt. feud. cap. 20. Diſt. 3.* COTHMANN. *Vol. 7. Conſ. 75. n. 3.* quem citat & ſequitur de LUDOLFF *in obſervat. for. p. 2. obſ. 129. ibique alleg.* HORN. *in jurispr. feud. cap. 20. n. 15.* qui hanc ſententiam juri communi magis dicit conformem. Omnibus his, quoad jus retractus, aſſentitur TORNOV. *de tract. cap. 4. Sect. 2. §. 5.* tametſi de revocatione in ſpecie ſic dicta, dubitare videatur *ibid. §. 11.* Reſponſum patriæ facultat. jurid Roſtoch. huc pertinens nuper edidit. Dn. PRÆSES *in Jur. Megapol. ac Lubec. illuſtr. Cent. 2. Judic. 78.* Vides igitur, quam ampliſſimis munitus ſim virorum, non minus juris patrii ſcientia clariſſimorum, quam in praxi verſatiſſimorum, ſuffragiis.

*Proclamata, quæ ſub initium concurſus emanant, etiam*

§. IV. Sub initium concurſus publice convocantur creditores, per proclamata hujus fere tenoris: Daß alle und jede Creditores, ſo an dem N. N. oder deſſen Guth N. cum pertinentiis eine begründete Anſprach zu haben vermeynen, in termino

mino unausbleiblich erſcheinen ꝛc. addito præjudicio præcluſi. *agnatos* Fit bina vel trina harum citationum repetitio, in tribus diver- *ſtringunt.* ſis territoriis affigendarum. conf. Dn. DUVE *d. diſſ.* Neque in formalibus proceſſus concurſus ulla obſervatur diverſitas inter Vaſallum & alium debitorem bonis cedentem. Nihil neceſſe eſt, dictam convocationis formulam ad creditores, ex mutuo vel alio contractu, reſtringere. Siquidem 1) denominatio creditoris generalis eſt, ut ipſos quoque, qui jure dominii adeoque actione reali aliquid petunt, complectatur BRUNNEM. *de Proc. Conc. Credit. cap.* 2. §. 8. *ibique Stryk. in not.* FABER *in Codice lib.* 7. *tit.* 32. *def.* 16. SALGADO *in Labyr. credit. P.* 1. *cap.* 10. *n.* 100. *Dn.* CIESE *ſub præſid. Mantzel. de offic. actor. comm.* §. 16. HAHN. *ad Weſenb. Lib.* 42. *Tit. de privil. Credit. ad verb.*: *Porro inter Creditores.* Ibi: *ſive ex obligatione, conventione, delicto, ſive ex jure in re conſtituto. Vid. L.* 10. 11. 12. *de V. S.* atqve ita uſu ſervari in judiciis noſtris freqvens teſtatur praxis, ut etiam, qvi jure dominii fruuntur, in termino liqvidationis hoc jus ſuum profiteantur. Jam vero, 2) ſi retracturo actionem perſonalem (in rem ſcriptam) adeoqve jus ad rem TORNOV. *cap.* 4. *Sect.* 2. §. 7. revocaturo autem vindicationem adeoqve jus in re STRUV. *S. J. F. cap.* 13. *aph.* 17. recte tribuis, ſub voce creditoris utramqve actionem optimo jure comprehendes. 3) formula uſitata generaliſſima eſt, ut reſtrictionem ægre patiatur. *Vid. de* LYNCKER *Reſp.* 11. *n.* 50. *ſeq.*, qvi eandem citandi formulam ad agnatos qvoqve protendi in terminis probat, atqve docet, etiam hic genus cujuslibet prætenſionis omnes includere ſpecies, *L.* 147. *ff. de R. I.* MEV. *pag.* 6. *D.* 312. *n.* 5. Deinde 4) in dicta formula diſerte fit mentio feudi N. & citantur illi, ſo daran eine An= oder Zuſprach haben. Quod non niſi ad eos, qui jure reali nituntur pertinere poteſt. 5) In confeſſo eſt, proclamata etiam ad Creditores in diem, quorum jus præſens adhuc nullum, ſed futurum atque incertum eſt, pertinere. BRUNNEM. *d. l.* §. 7. Unde agnati nondum delatæ tunc temporis ad ipſos ſucceſſionis exceptione vel Re-

plica

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155767-p0019-8

plica ſe tueri nequeunt. 6) Ratio quoque, quæ citationes iſtas emitti jubet, & in eo poſita eſt, ut neque jure ſuo quis privetur, neque facta addictione ulterius, cum incommodo reliqvorum Creditorum audiatur, ſed bona ceſſa ſecure poſſideantur ac diſtrahantur, vel potiſſimum in agnatos qvadrat, ubi bona feudalia in concurſum dilabuntur, ut re integra veniant atqve de jure ſuo doceant. Qvare 7, haud injuria citationes illæ agnatos feudales ſtringere dicuntur GUTZMER *d. Diſp.* §. *ult.* & BESELIN *d. Diſp. cap.* 4. §. 5, de LYNCKER *d. Reſp.* 11. atqve 8, Ita praxis ſervat, ut agnati, publice ita moniti, tempeſtive non venientes poſtmodum non audiantur, qvemadmodum illud infra probabitur. Neqve enim 9, dubium eſt, qvin uſu induci, vel potius ita explicari poſſit proclama, ut agnati comparere teneantur, ſi jus ſuum velint ſalvum. Conſuetudo enim habet vim interpretativam. *L.* 37. *ff. de LL.*

§. V. Præclare 10, Hæc omnia illuſtrantur & confirmantur per Jus provinciale Mecklenb. a *Davide* MEVIO conceptum *Part.* 4. *Tit.* 6. von der Ceſſione bonorum §. 9 *ibi*: Wann einer von Adel bonis zu cediren ſich erklähret, mögen deſſen nächſte, oder, wann die nicht wollen, die andern Vettern NB. **in dem erſten oder andern** Termino, **wann die** Creditores **gefordert, zutreten,** und ſich erbieten, deſſen Lehn-Guth für einen ziemlichen Taxt, wie ſie entweder ſich darüber zu vereinigen haben. oder durch unpartheyiſche Commiſſarien aufgerichtet, **anzunehmen**, und die Creditores allererſt nach der prioritet-Ordnung zu befriedigen ſchuldig ſeyn; So ſoll **alsdann** denſelben, wann er deſſen genugſamer Verſicherung thun wird, das Lehn-Guht, **ſo** *ſub concurſu* **hänget**, abgetreten, und als **ſein erkauftes Guht** zugeſchlagen werden: Wäre aber demſelben, bey dieſen Geldklemmenden Zeiten, nicht möglich die Kauf-ſumme baar aufzubringen, **ſoll derſelbe auf billige** *Termine* **geſetzet**, die Vereinigung zwiſchen ihm und den Creditorn verſuchet, in Entſtehung aber, durch gerichtliche Vermittelung, darin eine Maaſſe gegeben werden. *Dn. de* WESTPHALEN *Monum.*

*inedita*

*inedita rer. germ. Tom.* I. *pag.* 841. Probe ſcio, hoc jus provinciale autoritatem legis adhucdum non habere. Interim urgens conſuetudinis argumentum præbet, cum non modo veroſimile ſit, ſed ex ipſa præfatione pateat, collectum illud eſſe 1, aus dieſer Herzog-Fürſtenthümer und Länder fundamental-Satzungen, Reverſalen und Ordnungen. 2, vernünftigen und wohlhergebrachten Gebräuchen. 3, aus der beſtändigen obſervantz derer Fürſtlichen Cantzeleyen, Land- und Hof-Gerichte. Et qvidem ab ordinibus provincialibus, ut itidem ex dicta præfatione §. ult. pateſcit. Iidem qvoqve inter gravamina politica de ao. 1701. illud primum poſuerunt: daß die verſprochene und ſo vielfältig ſollicitirte **Lehn- und Land-Rechte, nachdem ſie ſo mühſahm ausgearbeitet.** . . . nicht zur publication wollen gedeyen und dadurch vielen Proceſſibus und Unkoſten vorgebeuget werden. *Theſis illuſtratur ex jure prov. Mecklenb.*

§. VI. Etiam non deſunt noviorum temporum exempla, qvod agnati, publicis citationibus moniti, cum easdem ad ſe qvoqve pertinere arbitrarentur, comparuere atqve de jure ſuo docuere. Ita factum in dem Bülow-Bentenſchen Concurs, a Vaſallis Nobil. de Weltzien, conſulentibus ita JCtis Gryphicis apud ENGELBRECHT *Rſp.* 11. *n.* 10 & 11. Idem nuper obſervavit Nobil. de Lutzow, reſpectu feudi ejus aviti Harſt. *Exempla adduntur.*

Ex his igitur, §. IV. V & VI. adductis, abunde conſtare puto, publica proclamata non ſine ratione ac uſu ad agnatos porrigi, qvi plerumqve ſunt incerti, ideoqve vix aliter, niſi publicis programmatibus citari poſſunt. *Vid.* TEXTOR *Prax. jud. P.* 1. *c.* 18. *n.* 7.

§ VII. Repetuntur illa Proclamata bis terve, per triplicem terminum ordinis, in tribus diverſis territoriis affigenda, ut ad notitiam cujusvis pertingant. Hinc notorium inferre dicuntur. Peracta liqvidatione, Creditorum diſputationes & ceteræ, qvæ incidunt, lites, non luſtrum modo integrum, ſed decennium, vicennium & qvod excurrit, abſumunt, anteqvam ad addictionem diſtributionemqve perveniatur. Interim fit taxatio. Omnia publice decernuntur & expediuntur. *Effectus proclamatum.*

 Fama

Fama moti concurſus ubiqve pervagatur, ut hominem vel minima ex parte curioſum latere non poſſit, neqve in tanta notorietate ignorantiam prætendenti credatur. Ecqvid igitur mirum, ſi etiam hic conſuetudine obtineat illud: Vigilantibus jura ſunt ſcripta, *L. fin. C. de alluv.* Certe, qvi hæc omnia ſcivit, vel ſcire facili negotio potuit, haud injuria jus ſuum remiſiſſe creditur vel fingitur, & indigna eſt ejus negligentia, qvi feudum avitum ſpectans, atqve de revocatione ejus cogitans, omnia, qvæ circa illud publice aguntur, incurioſe ignorat. Paria ſunt ſciri & neſciri, qvæ ſciri poſſunt & debent. *L.* 48. *pr. de fidejuſſ. c. ult. X. de clandeſt. ſponſal.* WESENBEC. *lib.* 1. *Conſ.* 8. *n.* 36. Scienti vero nec mature contradicenti in tali re, qvæ irrevocabilis & ob judicialem autoritatem ſancta eſſe debet, præjudicat & revocationem, tanqvam ex conſenſu excludit ſilentium. *L. penult. ff. de ſervit. L.* 46. §. 1. *ff de Jur. dot. L.* 2. *C. de acq. poſſ. L.* 2. *ff. ad Municipal.* MEV. *Conſ.* 75. *n.* 22. Sibi ergo imputent agnati, qvod non mature intervenerint. ISERN. *in* §. *Si vaſallus n.* 1. *Si de feud. def.* BORCHOLT *d. feud. c.* 8. *n.* 62. CRAVETT. *Conſ.* 197. *n.* 7. multo magis, ſi citati fuerint, ad aliqvid faciendum, ſub pœna præcluſionis. MEV. *Conſ.* 38. *n.* 112.

*De conſenſu ficto.*

§. VIII. Conſenſum, etiam ſupervenientem, ſive tacitum, ſive expreſſum, ſive fictum obſtare revocationi, dictum eſt *ſupra cap. I. § VIII.* Qvod ſi in hoc negotio conſenſum agnatorum urſeris, ex ficto plurimum conſenſu ipſos excludi, dicendum erit. Id enim ſibi volunt verba §. præced. allata: *tanqvam ex conſenſu. Add.* GUTZMER *d. Diſp.* § *ult.* ibi: *habentur pro conſentientibus* & renunciantibus. Eſt enim illud omnibus citationibus præcluſivis ſolenne, ut non arctent, ſed moneant. SCACCIA *de Jud. cap.* 34. *n.* 23. HILLIGER *in Donell. lib.* 23. *cap.* 2. *lit. J. pag.* 1005. Si tamen non veniant, jus ſuum *remiſiſſe videntur.* Ita de Creditore hypothecario expreſſis legibus cautum *L.* 6. *C. de Remiſſ. pign. ibiqve Brunnem. Idem ad L.* 1 *&* 2. *ibid.* Pariter in agnatis taciturnitatem proviſione juris vim conſenſus habere poſſe docet MEV.

MEV. *conſ.* 38. *n.* 125. multo magis, ubi qvis conſentire tenetur, pro conſenſu eſt ſilentium. ID. *ibid. n. ſeq* & *conſ.* 39. *n.* 94. Hæc omnia ad conſenſum fictum vere pertinent, cujus uſum in cauſis feudalibus aſſerui ſupra *cap. I.* §. *VIII.* Jam vero agnati pro natura feudorum noſtrorum tenentur, aut æs alienum ſolvere, aut alienationem in Creditores permittere. *vid. infr. Sect. III.* §. *VI.* & *ſupr. cap.* 1. §. V. Si neutrum faciant, pro conſentientibus habentur & tanqvam ex conſenſu excluduntur.

§. IX. Per ſententiam diſtributionis feudum Creditoribus addicitur in ſolutum, ſeu adjudicatur, eaqve ſententia, nullo remedio ſuſpenſa, in rem judicatam tranſit. Qvænam ſit adjudicationis vis, diſputant qvidem, qvi rem cum ſuo onere tranſire autumant. *vid. D.* SCHOMERI *Diſſ. de vero uſu immiſſ. taxat.* & *adjudicat.* Cui, qvoad jus commune, haud invitus aſſentior, in adjudicatione particulari, qvæ fit extra concurſum ad inſtantiam ſinguli cujusdam Creditoris. At certa eſt in Megapoli ſententia, qvæ per eam, utut ad inſtantiam unius factam, Hypothecas exſpirare, dominiumqve irrevocabile acqviri probat. *Vid.* GUTZMER *d Diſſ.* §. 21. 22. *ſeqq.* Atqve ſic indubie habet praxis, TORN. *P.* 1. *pag.* 649 & 650, ubi in re tam liqvida refutatione rationum dubitandi opus non eſſe dicit. *Add. Jus Mecklenb. ac Lubec. illuſtr. cent.* 2. *Judic.* 52. & *cent.* 3. *Judic.* 30. An idem in adjudicatione feudi obtineat, dubitant vel negant. Recte qvidem meo judicio, poſitis tamen tamen terminis habilibus, id eſt, feudo proprio ex pacto & providentia majorum. Qvod ſi vero ab hoc diſceſſeris, feudumqve improprium, alieno æri indiſtincte obnoxium ac alienabile ſubſtitueris, ex natura feudi ac obſervantia vel ſtatuto judicanda qvæſtio eſt. Qvoad feuda megapolitana diſtinguo, inter addictionem partis vel totius feudi. Item, qvæ fit publico programmate prævio, vel ſecus. Adjudicata parte ſemper ſupereſt reluitio. *Vid. infr. Sect. III.* § *V.* Addicto autem toto, poſt publicas citationes ſecutamqve taxationem, eundem effectum in feudis locum habere aſſero, qvem in allo-

*De effectu addictionis in Megap.*

*Maxime in feudis obæratis.*

dio apud nos procul omni dubio obtinere dixi. Siqvidem feuda noſtra ſunt mixta, alienabilia, atqve qvoad efficacem æris alieni impoſitionem multum accedunt allodiis. Inanis autem foret conſtitutio, qvæ æs alienum feudo imponit, niſi qvis in ſolutum acceptum aut diſtractum ſecure poſſidere poſſet. SCHRADER *de feud. P.* 8. *c.* 7. *n.* 8. MEV. *conſ.* 39. *n.* 93. Unde non modo non miror, ſed admodum convenienter puto vim illam, qva allodium adjudicatum in noſtris ſpeciatim terris irrevocabile dominium tribuere conſtat, ratione, uſu & conſuetudine ad feuda creditoribus addicta pertractam eſſe & invaluiſſe. Qvod ſi igitur in allodialibus etiam adjudicatio, ad inſtantiam unius creditoris facta, hunc ſecurum præſtat dominum ac poſſeſſorem; Qvanto magis conveniens eſt, illud irrevocabile eſſe, qvod præviis publicis proclamatibus, nemine, in tanta concurſus notorietate, ac famæ celebritate contradicente, judiciali decreto tribuitur, deinde rei judicatæ autoritate in perpetuum ſtabilitur. Diſſentientem allegat Tornovium inclyta Facultas Gryphica apud ENGELBRECHT *Rſp.* 41. *n.* 20. Sed videatur TORNOV. *cit cap.* 3. *Sect.* 5. §. 17. aperte diſtinguens, inter adjudicationem totius feudi & partis ejusdem. Hoc caſu revocabile tribuit dominium, in qvo ipſi non repugno. Contra vero, qva totum feudum adjudicatum, in Concurſu creditorum, nihil definit, ſed ad *cap.* 4. lectorem remittit: De adjudicatione totius feudi extra concurſum *conf. Nr.* 1. *in adjunct.*

*De effectu ſententiæ diſtributionis in concurſu qvoad feuda: ſpeciatim de effectu clauſulæ:* Daß *Creditores* ſich nach einen Lehns-fähigen Käuf-

§. X. Videamus jam de effectu ſententiæ diſtributoriæ. Offert ſe primo ipſa illa ſententiæ clauſula: Daß Creditores ſich nach einen Lehnsfähigen Käuffer umzuſehen haben. TORNOV. *p.* 2. *p.* 93. de LUDOLF. *Obſ for. p.* 1. *Obſ.* 129. Exempla vide apud TORNOV. *P. I. pag.* 410. ſane ſi hæc clauſula cum effectu accipienda eſt, valida inde ducitur concluſio, ad arcendam revocationem, niſi triplex admittere velis abſurdum. Primum, quod dominus feudi feudum uni familiæ conceſſum, alteri peræque conceſſum velit, quod tamen, citra ſimultaneam inveſtituram, quam ita induci nemo facile dixerit, credere

nefas

neſas duco. Secundum, quod emptor quæratur hac lege, ut feudum quocunque tempore agnatis reſtituat repetentibus: quam tamen nemo facile ſubiturus eſt. Tertium, quod Dominus creditoribus, litium ambage ac ſumtu, donec ad addictionem tandem perventum, jam miſere fatigatis, necesſitatem voluerit impoſitam, novas pertimeſcendi lites, quas, in caſum revocationis, ratione evictionis ſubire neceſſum foret. Stante autem ſententia, quod Vaſallus omne jus ſuum in feudo amittat, nec etiam agnatis ullum jus revocandi competat, ſed feudum domino aperiatur Dn. GUTZMER. *cit. D.* §. 40. & ZURNEDDEN *d. l. poſ* 17. plana res eſt.

*fer umzuſehen haben.*

§. XI. Deinde proſtant tot invictisſima curiæ feudalis pronunciata, quæ non alium hujus clauſulæ effectum ac ſenſum eſſe probant. Ita in judicatis curiæ feudalis ſatis perſpicua ſunt verba, quibus poſt addictionem dicitur: e. gr. **Daß das Guht Lünow kein Levitzowen Lehn: Das Guht Camps nicht mehr für der Halbetſtadten und der übrigen Anverwandten Guht zu** æſtimiren: **Die Gühter Dölitz und Boddien nach der üblichen** praxi **dieſer Lande keine Lewitzowen Lehen mehr geweſen: das Guht Wulffshagen,** juxta notoriam praxin, ex familia **der Zepelienen getreten**: *vid. Adj. ſub Numeris III. VI. VIII. XI.*

*Ejusdem clauſulæ verus ſenſus ulterius firmatur.*

§. XII. Porro feudum, poſt addictionem, non amplius eſt feudum priſtinæ familiæ, ſed antiquam indolem exuit & domino directo aperitur. GUTZMER. *c. l.* §. 40. Creditores autem id jure crediti posſident, quod non qualitatem feudalem ſapit, ſed allodii indolem penitus retinet. STRYK. *de C. C. c.* 4 *Sect.* 2. §. 10. RAUCHBAR. *p.* 1. *qu.* 3. STRUV. *S I. F. c.* 14. §. 14. *in fin.* TORNOV. *P. I. p.* 410. qui ſi quando vi ſententiæ diſtributoriæ feudum vendunt, atque emptor de novo inveſtitur, hac formula pasſim utitur curia feudalis in literis conſenſum impertientibus, vel de novo inveſtientibus: **Daß das N. Lehn vermittelſt des über dem Guht** N.

*Feudum ita definit eſſe antiqvum.*

*Et in perſona emtoris mediante inveſtitura fit novum.*

N. erregten Concurſus zum neuen Lehn geworden. TORNOV. *P.* 2. *p.* 93. GUTLMER. *d. l.* Id quod iterum adjuncta ſub Nris I. II. III. aperte probant. Feuda igitur, quæ quondam fuerant antiqua, poſtquam per addictionem talia eſſe deſierunt, fiunt nova, quemadmodum id alioquin indubitati juris eſt Nic. EVERH. Jun. *Vol.* 2. *Conſ.* 39. *n.* 1. M. Anton. PEREGR. *Vol.* 1. *Conſ.* 18. *n.* 7 & 8. SURD. *Conſ.* 181. *n.* 39. & *Conſ.* 440. *n.* 39. *ſqq.* SICHARD. *Vol.* 1. *Conſ.* 1. *n.* 40. COTHM. *Vol.* 1. *R.* 9. *n.* 25. qui omnes præſens negotium punctualiter decidunt KLOCK. *Vol.* 2. *conſ.* 29. *n.* 25. 26. 27. ROSENTHAL. *cap.* 2. *concl.* 22. Aut hæc omnia concedas, aut vero, tam Creditores quam novum emtorem circumveniendi gratia, novam hujus inveſtituram a domino directo concedi exiſtimes, quod dictu nefas eſto. Recte igitur ROSENTHAL. *cap* 9. *m.* 1. *concl.* 18. *n.* 10. Si dominus, inquit, in alienationem feudi & ſic, ut utile dominium in emtorem transferatur, conſentiat, vaſallus alienans a fidelitate liberatur, & emtor inveſtituram petere & dominus eam præſtare cogitur. Cum igitur iſta ratione emtorem iſtum ſuum vaſallum fieri conſentit dominus, non poteſt non ille conſenſus hoc importare, ut, quamdiu emtor ille ejusque deſcendentes vivunt, feudum apud ipſos duret.

*Vis hujus novæ emtoris inveſtituræ ſtabilitur.*

§. XIII. Liceat novæ inveſtituræ adhuc pauliſper immorari. Fit ea ab ipſo domino directo, expeditur a curia feudali, ex certa ſcientia. Agnati eam patiuntur. Quando vero emtoris ſubſecuta eſt inveſtitura, nec huic contradictum conſenſus revocationem excludentis indubia oritur concluſio, uti ex communi Doctorum opinione refert. MEV. *conſ.* 39. *n.* 129. Quod ſi ſententiam declaratoriam amiſſionis feudi deſideres, non dubito ſententiam præcluſivam ac diſtributoriam ejus loco eſſe, quæ deinde per novam emtoris inveſtituram confirmatur. conf. BRUNNEM. *conſ. ult. n.* 81.

§. XIV. Profecto hæc omnia tam egregie cohærent ſuaque luce radiant, ut, qui libero animo judicioque intueatur, fatendum ei ſit, exulare in his terminis revocationem. Jus,

qvod

quod agnati in feudo habuere, exſpiravit, feudo ex familia exeunte. Deficit illa relatio, quam in revocando ſupponas neceſſe eſt. *vid. ſupra cap.* 1. §. *VI.* Ceſſat omne jus ſuccedendi adeoque & revocandi facultas. Non entis autem nullæ dicuntur affectiones.

*Neceſſaria alienatio hic vel inprimis poteſtatem ſuam exſerit in extinguenda revocatione.*

§. XV. Multa, apud Doctores, de neceſſariæ alienationis effectu irrevocabili ſcripta legimus, quæ omnia aut falſa ac cerebrina ſint oportet, aut in his terminis noſtris obtineant. Duplici adeo reſpectu neceſſitas hic adeſt. Primo enim Creditores vendunt. Sententia id jubet. Rei judicatæ autoritas urget. Abſoluta impellit neceſſitas, cui ipſimet anſam dediſſe dici nulla ratione poſſunt. *conf. verba adjunct ſub N. V.* ibi *ſed neceſſaria creditorum poſt adjudicationem alienatione.* Deinde reſpectu debitoris communis, ære alieno oppreſſi, quoque neceſſaria efficitur alienatio, quam quidem ratione initii nonnunquam voluntariam dicere quidam amant, ſed in feudis mixtis ad excludendam revocationem ſpeciatim in Megapoli pro neceſſaria habendam eam eſſe probat COTHM. *Vol.* 2. *Reſp.* 75. *n.* 44. & 49. *Vol.* 3. *Reſp.* 23. *n.* 154 *ſqq.* & *Reſp.* 31. *n.* 16. & 38. *vid. ſupra cap. I.* §. *X. XI.* & *XII.*

*Probanda in terminis obſervantia & conſuetudo.*

§. XVI. Sunt hæc omnia ſatis prægnantia, ſed reſtant alia graviora, quæ illis pondus addant, omnemque dubitationem eximant. Non ſatisfecero provinciæ meæ, niſi conſuetudinem ipſam, cui potisſimum innitor, & ad quam defendendam cetera præmiſi, in terminis, quod ajunt, probem, ita ut ne quidem illam de plauſtro vini ad plauſtrum olei extendam, prout acute loquitur. PRUCKMANN *Vol.* 1. *conſ.* 31. *n.* 8. Loquar ubique de feudis in concurſum delapſis, hinc per ſententiam diſtributionis creditoribus addictis, ut illa a revocatione ſecura præſtem. De hoc eodem caſu loquuntur DD. quos ſupra magno numero citavi. Provocant illi ad obſervantiam ac notoriam praxin eique rei, ut fidem facerent, præjudicia vel allegant vel fruſtulatim ſcriptis inſerunt, ut difficile ſit, judicare, utrum de identitate caſuum, de antiquitate obſervantiæ ac conſtantia praxeos omnia ſibi conſtent. Quare cum

dicta

dicta præjudicata, forte etiam quædam alia, teſtimonio Domini Archivarii publico munita, ex ipſa curia feudali, ad inſtantiam partis communicata in manus meas inciderint, eadem typis expreſſa huic diſſertationi integra ſubjunxi, non minus ut aperte agerem, quam ut indubitatius ad publica monumenta provocare poſſem.

*Probatur ex ſententiis & reſponſis ipſius curiæ feudalis.*

§. XVII. Exhibeo igitur ſub N. IV. V. VII. VIII. IX. X ſex potisſimum ſententias, contradicto judicio latas, ad quæſtionem propoſitam verbotenus ſpectantes, eamque punctualiter decidentes. Quibus, quid poſſit eſſe apertius, ego quidem non video. Notatu dignisſimum eſt, ſubnexas ſententias tam Sverini an. 1664. & 1672. vid. Num. IV. & V. quibus *add. Num. II. d. d. Sverin* 1647. & *Num. VI. d. d. Sverin.* 1674. quam Guſtrovii anno 1680. vid. Num. VII. *add. Num. I. d. d. Guſtrow* 1646. & *Num. III. d. d. Guſtrow* 1652. cum Ducatus in lineam Sverinenſem & Guſtrovienſem eſſet diviſus, pronunciatas, unam eandemque praxin oſtendere. Combinata deinde utraque parte curiam feudalem hanc illam theſin & retinuiſſe & firmaſſe, in annis 1703. *ſeq. vid. Num. VIII. IX. X. XI.* Addo præterea bina reſponſa annis 1674. & 1705. e curia feudali Sverinenſi data, quorum tenor elegantisſimus totam rem complectitur ac conficit, vid. N. VI. & XI.

*Quantum his judiciatis robur inſit, diſqviritur.*

§. XVIII. Antiquis hiſce judicatis ſatis ſuperque conſvetudinem probari, ſine ulla haſitatione propugno. Etenim 1) obſervantia in ſpecie ſic dicta uno actu inducitur *Tiber.* DEC. *Vol* 3. *Reſp.* 96. *n.* 18. nec pluralitatem actuum requirit KLOCK. *Vol.* 2. *conſ.* 182. *n.* 38. *Dn. de* BALTHASAR. *de oper. ruſticor. cap. II.* Interim apud JCtos inſtar legis eſt, ac pro lege habetur *arg. L.* 14. *ad L. Corn. de falſ. L.* 3. *C. de ædif priv.* eaque recepta in foro ſtudioſe tenenda eſt. CARPZ. *lib.* 4. *Rſp.* 15. & *Dec.* 227. *n.* 21. Sed hæc forſan non omnibus ſatis probantur. Addo igitur 2) obſervantiam continuatam inducere conſvetudinem. TABOR *de confront. P. I.* §. 16. Combinemus utramque, ut fit *in L.* 35. *ff. de LL.* ibi. *Quæ*

*longa*

*longa conſvetudine comprobata ſunt, ac per plurimos annos obſervata &c.* probatur autem conſvetudo per ſententiam, MASCARD. *de probat. concl.* 427. *n.* 1. REBUFF. *de conſvet. art.* 2. *gloſſ.* 3. *n.* 34. TORNOV. *P.* 1. *p.* 142. ſi contradicto aliquando judicio firmata *L.* 34. *ff. de LL.* id quod in noſtro caſu conſtat ex adj. ſupra cit. Ubi jus impediendi vel revocandi venditionem expreſſe agnatis præcluſum & alienatio, poſthabita illorum contradictione, valida pronuntiata reperitur, quod in ſimili urget MEV. *conſ.* 38. *n.* 119. Neque vero, 3) ſemel, ſed ſæpius ita pronuntiatum eſſe doceo. Jam vero duo actus ſufficere *arg. L.* 11. *de Teſt.* concedunt omnes. BRUNNEM. *conſ.* 162. *n.* 487. Quantum magis igitur 4) theſi meæ tribuendum erit, cum non unam alteramve, ſed plures ſententias adducam. 5) Non recens introducta eſt mea conſvetudo, ſed, antiquitus ita ſervatum eſſe, teſtantur adjuncta ultra hominum memoriam, jam inde ab anno 1646. imo, ſi teſtimonium Cothmanni ſpectes, a Seculo XVI. accerſita atque dein ad noſtram memoriam continuata. Nam per lapſum longi temporis, decem nempe annorum, conſvetudo indiſtincte inducitur. MEV. *conſ* 162. *n.* 489. & per multos annos obſervata pro lege habenda ſunt, BRUNNEM. *conſ.* 161. *n.* 23. Ex diuturnitate temporis præſumitur conſenſus domini feudi & populi KLOCK. *Vol* 3. *conſ.* 182. *n.* 6. *ibique cit. DD.* unde vetuſtas ipſa poteſtatim legis tenere dicitur in *L.* 1. *§. fin. ff. de aqua & aqu. pluv.* Accedunt 6) Teſtimonia illuſtriſſimæ curiæ feudalis imo ipſius Domini directi ſereniſſ. qui conſvetudinem optime ſcire præſumendus eſt. BRUNNEM. *conſ. ult. n.* 42. 43. Talia teſtimonia, non modo in ipſis ſententiis pasſim continentur, ſed ſpeciatim etiam in adjuncto ſub N. VI. & XI. deprehenduntur. Sunt eadem maximi momenti, MEV. *conſ.* 13. *n.* 26. LYNKER. *Reſp.* 86. *n.* 17. imo ab onere probandi relevant, ſi talis conſuetudo jam aliquando in judicio recepta & pro ea judicatum eſt. SCHILTER *exerc. ad ff.* 2. *§.* 21. Id quod inprimis dicendum de decretis ſummorum ſenatuum (der Regierung) ſeu illorum qui principi ἐν τῇ νο-

μοθετικῆ a conſiliis & capitis hujus quaſi corpus ſunt. *Id. c. l.* §. 6. Aſſertionibus Principis omnino credendum eſt. *Matth. de* AFFLICT. *D.* 305. *n.* 15. CRAVETT. *de antiqu. tempor. p.* 1. §. *propoſitum noſtr. n.* 1. Præſertim ubi illæ aſſertiones repetitæ ſint. COTHMANN. *Vol.* 4. *Reſp.* 19. *n.* 24. addo, & ex certa ſcientia poſt cauſam cognitam emanaverint. Idque magis obtinet, cum teſtimonia illa ducalia ipſos vaſallos eorumque feuda concernant & attingant, ideoque majorem fidem mereantur *Idem d. l. n.* 25. Deinde 7) quam altas hæc conſvetudo radices egerit, ex ipſis reſponſorum ac judicatorum verbis patet. Agnatorum revocatio vel retractus vocatur eine Impetition *in Adj. ſub N. IV.* Item eine Inſultation ut *in N. VI.* Metus poſſeſſorum dicitur eine vergebliche Sorge: *ibid.* Provocatur auf die radicirte Landes-Gewohnheit: *ibid.* Auf notoriam praxin. *N. IIX. & XI.* Atque promittitur emtori: Ihn bey der neuen Belehnung zu ſchützen, *N. VI.* Injungitur revocaturo agnato probatio: daß das Guht nicht im Concurs gerahten, *N. IX. & conſtit. noviſſ. d.* 26 *Sept.* 1749. Conſenſus autem vel contradictio agnatorum inſuper habetur *N. II. III. & VI.* Hæc omnia ſequitur 8) Doctorum celeberrimorum in jure patrio verſatiſſimorum frequens teſtimonium, *ſupra hac Sect. I.* §. *III.* adductum, quibus, ut ſimpliciter credi nolo, per tradita COTHM. *Vol.* 1. *conſ.* 13. *n.* 59 *ſq.* ita aliquid tamen ipſis tribuendum puto, præprimis ſi & in praxi verſatiſſimi fuerint, & in loco, de cujus conſuetudine quæritur, diu commorati ſunt, & ſententiam ſuam non minus rationibus, quam præjudiciis, firmarunt. Atque ita intelligo quos cit. t MEV. *conſ. ult. n.* 40. & 310. *ſq.*

*Pauca de requiſitis conſvetudinis.*

§. XIX. Equidem non video, quid amplius deſiderari poſſet, niſi forte quis exſpectet, ut commonſtrem, requiſita conſvetudinis adeſſe. Verum enim vero, illud ipſum ex jam dictis facile eſt intellectu. Tacitum principis, ſeu ejus penes quem eſt LL. ferendi poteſtas, conſenſum, eſſentiam conſuetudinis conſtituo, cum BEYERO *in poſ. ad l. & ff.* ad quem cetera requiſita referenda ex eoque explicanda ſunt: quanquam,

quanquam, ſi expreſſum conſenſum cum Dn. Quiſtorpio in Diſſ. cit. deſideres, ad ſubjuncta inſtrumenta tuto provocare poſſem. Præter iſtum conſenſum, nihil niſi aptitudinem actuum requiro, cum BOEHMERO *in introd. in jus dig. lib.* 1. *Tit.* 3. §. 19. Huc referunt, ut ſint 1) plures, 2) diuturni, 3) uniformes, 4) voluntarii, 5) ex opinione neceſſitatis ſuſcepti & denique 6) rationabiles. BOEHM. *d. l.* §. 20. Nihil horum mihi deeſt. Ad. 1. 2. 3. 4 & 5. vid. Adjuncta ad unum omnia. Ad 6. vid. ſupra §. I. usque XV. hujus Sect. Illud tantum addo: In probanda conſuetudine ſufficere, ſi duo priora membra oſtenderis, actuum ſcilicet pluralitatem ac diuturnitatem temporis. Quibus probatis cetera præſumuntur. MYNSING. *Reſp.* 43. *n.* 42. *D.* 5. *Jac.* SCHULTES *qq. ſuar. Part.* 2. *qu.* 76. *n.* 121. *ſq.* KLOCK. *Tom.* 3. *conſ.* 182. *n.* 44. 57. *ſq.*

§. XX. Admodum ſe commendat hæc obſervantia a) propter utilitatem publicam, ut certa ſint rerum dominia & fides publica, quæ tanto illuſtrior erit, quo major conceditur ſecuritas, fulciatur, & materia litium e medio tollatur. b) Ob miſeram creditorum conditionem, qui emtori de evictione tenentur, non tantum ſi de evictione caverint, qualem caſum habet SCHARF. *in conſult.* 48. *ab init. lit. c.* vel, conſvetudine freti, irrevocabile prædium vendiderint, ſed etiam, ſi absque prævia ſubhaſtatione, quæ in Megapoli regulariter omittitur, feudum ſibi addictum vendiderint. Certe de evictione tenebuntur, &, contra quem regreſſum habeant, erit nemo. *conf.* TORNOV. *P.* 2. *pag.* 100. 101 *&* 105. Accedit, quod prædium revocabile non æque facile idoneum emtorem inveniat. Quod ſi autem de non præſtanda evictione ſtipulari vellent creditores, quorum tamen utpote de damno vitando certantium potior debebat eſſe ratio MEV. *cit. c.* 38. *n.* 85. vilius rem vendere cogentur. Securitas poſſidendi emtores allicit ac licitando audaciores efficit. c) ob feudorum noſtrorum naturam, quæ ſi æris alieni indiſtincte ſunt patientia, conſequens eſt, ut ſecure diſtrahantur. Idem *ſupra cit. loc.* Nec obſtat, *Rationabilitas ejus.*

D 2 quod

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155767-p0031-1

quod revocatio hoc caſu non fiat, niſi refuſo pretio. Etenim Reſp. quod evictio etiam ſumtus litis, aliosve, quos ab evincente ſervare non potuit emtor, imo damnum & intereſſe complectatur. BOEHM. *Introd. in J. Dig. Tit. de evict.* §. *ult.* & pretium, quod eſt tempore evictiones, attendatur. *L.* 13. *L.* 66. §. 3. *L.* 70. *de evict.* Multæ præterea poſſeſſori imminent lites, impenſæ ac moleſtiæ. Neque ideo rem emimus, ut recepto pretio eandem iterum dimittamus, ſarcinulas colligamus & migremus. Quis enim facile emturus eſt rem, quam ſibi ablatum iri prævidet? MEV. *conſ.* 4. *n.* 113. quis non ſumtuoſas illas lites, quæ primo circa actionem ipſam intentatam, deinde circa meliorationes & deteriorationes emergunt, cavebit & exſecrabitur? Migrationem denique ipſam quis æquo metuet aut feret animo? quæ incommoda ubique in emtore remanent, ſi vel maxime revocationem, non ſine refuſione pretii admittendam dixi. Denique oſtenſum eſt ſupra, a magni nominis JCtis quam plurimis defendi, illud ipſum, quod ego conſuetudini tribuo, aperti juris eſſe, *vid.* PRUCKMANN *Vol.* I. *conſ.* 4. *n.* 34. *ibique cit.* CRAVETT. *conſ.* 327. *n.* 7. & TIRAQUELL *de utroque retract. P.* I. §. I. *gl.* 14. *n.* 5. ubi vel ſexcentos, hanc ſectantes opinionem magis receptam, nominatos offendes. Neque non conſtat, tolerari ſtatutum, ut feuda invitis agnatis in præjudicium eorum valide alienentur MEV. *conſ.* 38. *n.* 61. Quidni ergo toleretur mos, quo agnatus, poſt publica proclamata, tempeſtive non veniens, poſtmodum non audiatur, ſed tanquam ex conſenſu excludatur? Concludo igitur actus, quos probavi, in utraque quondam nunc combinata curia feudali Megap. ſuſceptos utique ſatis aptos eſſe ad inveteratum illum uſum ac conſuetudinem inferendam.

*Analogia juris patrii.*

§. XXI. Anteqvam hanc ſectionem abſolvam, placet, momenta qvædam alia addere, qvæ analogiam juris patrii atqve intentionis ſpectant ordinis eqveſtris. Primo, qvod fidem crediti, das Credit-Weſen, attinet, ejus in legibus patriis maximam haberi rationem, patet ex *Conſtit. d.* 23. *Februar.* 1619. & *Reverſ. de ao.* 1621. *conf. additam. grav. de ao.* 1701. *Claſſ.* 5.

grav.

*grav.* 1. Huic autem fidei conſuetudinem noſtram congruere per ſe patet. Secundo, certum eſt, ordinem eqveſtrem ſummis viribus allaborare, ut revocationes feudorum reſtringerentur. Maluerunt igitur a juris communis regulis recedere, qvam dominia rerum in incerto relinqvere. *vid. d. Reverſ. art.* 29. *Proj*ect. des Meckl. Lehn=R. *Tit.* 21. *Art.* 45. *& monita ad eundem art. apud* TORNOV. *parte I. pag.* 69 *&* 100. Inſtar omnium vero **Gerdes 9te Samml.** *num.* 4. *per tot.* Jam vero ad eundem hunc finem obſervantiam curiæ feudalis tendere, nemo eſt, qvi non perſpiciat. Tertio, ex §. V. hujus Sect. patet, id, qvod de citatione publica agnatos ſtringente dictum, in jure provinciali mecklenburg. deſertis verbis contineri. Ordines provinciales idem conſcribi curaſſe & ejus publicationem petiiſſe, adeoqve approbaſſe moribusqve convenientem judicaſſe. Deniqve, qvod ultimum eſto, promulgata eſt nuperrime a SERENISSIMO DUCE nunc glorioſe regnante, conſtitutio d. 26. Sept. 1749. per qvam id, qvod ex obſervantia probavi, publice conſtitutum adeoqve omne dubium ſublatum eſt. Non adjungo eam integram, qvoniam omnium manibus volvitur: Excerpam tamen qvædam huc pertinentia. Sic v. g reprobatur: daß auch ſo gar durch würcklichen Concurs vorlängſt aus dem Geſchlecht gegangene und der folglichen caduciræt halber andern Vaſallen bereits würcklich zu Lehn gegebene Güter unter dem Nahmen alter Lehne gemuthet werden wollen. Item prohibentur die Muhtungen derer Güter, die NB. **entweder** durch Concurs **oder** andern rechtsbeſtändigen mit Lehnherrl. Conſens und der Agnaten Bewilligung geſchehenen Handel aus einem Geſchlecht in ein anderes gegangen, folglich von den vorigen Geſchlechts=Verwandten mit Recht nicht mehr gemuhtet werden können. Ubi notes, contradiſtinctionem. In primo menbro: entweder durch Concurs, nulla fit mentio conſenſus agnatorum, bene tamen in altero: oder andern Rechtsbeſtändigen Handel.

*Denique per expreſſam conſtitutionem publice firmata theſis hactenus defenſa.*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155767-p0033-2

Seqvitur ut in

## Sect. II.

### *Cum diſſentientibus, ſi qvi ſint, diſputemus.*

*Refertur ſententia Cothmanni ejusq; diſſenſus apparens removetur.*

§. 1. Objiciunt primo B. *Erneſtum* COTHMANNUM. Provocant partim ad ejus *vol* 2. *Reſ.* 57. *n.* 255. *ibi* : *Huc accedit, qvod certi juris ſit, judice ob vaſalli æs alienum creditoribus adjudicante vel alienante rem ſic habendam eſſe, ac ſi ipſe vaſallus adjudicaſſet vel alienaſſet.* Verum non puto, ICtum quæſtionem meam decidere. Siquidem α, non patet, de feudo mecklenburgico, neqve β, de adjudicatione, qvæ fit poſt publica Proclamata, in ſolenni creditorum concurſu, neqve γ, de actione revocatoria agi. Apparet potius, δ, de feudo oppignorato ejusqve ε, reluitione (in ſpecie ſic dicta, nam alioqvin voce reluendi etiam in revocando utimur TORNOV. *cap.* 4. *Sect.* 2. § 9) ζ, ante elapſum tempus conventum, qvippe cum η, contractus ille eſſet nullus atqve invalidus, agnati vero θ, renovationem inveſtituræ ſubinde adepti erant ac ι, onera feudi ſervitiaqve præſtiterant. Qvare, qvid, ex dictis verbis Cothmanni, per conſeqventiam inferri poſſit, non video. Deinde urgent *Reſp.* 18. *n.* 1. 2 & 7. *Vol.* 3. fortius hoc obſtare videtur, ſed vere non obſtat. Totum conſilium agit α, de alienatione non facta, ſed facienda, β, ob æs alienum, γ, privatim, δ, invitis etiam agnatis & contradicentibus, ε, obſtante pacto de non contrahendo majori ære alieno. Nihilominus tamen deciſum ζ, alienationem concedendam eſſe, reſervata tantum actione ex pacto, contra alienantem ad intereſſe *d. l. n. ult.* Verba autem objecta η, tantum incidenter & qvidem θ, in rationibus dubitandi poſita ſunt. Ceterum ι, in ſpecie phraſis : *deniqve jus etiam revocandi alienata feuda agnatis competit* ; ad alienationem privatam reſtringenda ſunt. *Conf.* MEV. *Conſ.* 31. *n.* 100 qvi Cothmannum ita explicat, ut loqvatur de alienationibus, qvæ ſine domini conſenſu, ſine juſta cauſa & ignaris agnatis peraguntur. Cum vero (ut in noſtro caſu) alie-

*& conciliatur.*

nationes

nationes fiunt neceſſario ac ſolenniter, ceſſare revocatoriam, non egere prolixiori demonſtratione. Reliqva, qvæ apud Cothmannum d. l. de jure protimiſeos ac ſolvendi, qvantum extraneus bona fide offert, inveniuntur, ubivis, vel in ipſo concurſu creditorum, locum habere videntur.

§. II. Videamus autem, qvid idem ille JCtus patrius in terminis factæ, ob urgens æs alienum, cum conſenſu DNI directi, neceſſariæ alienationis atqve poſt eam intentatæ revocationis in feudo Megapolitano diſerte ſcribat. *Vid. Vol. 2. Reſp. 75. ubi n. 44.* ita: „*in noſtro caſu creditoribus urgentibus* „*& magiſtratu ordinario jubente, atqve adeo per neceſſariam alie*„*nationem pater coactus fuerit feudum vendere. Certum autem* „*eſt neqve juri protimiſeos neqve aliis juris remediis locum dari,* „*ſi neceſſaria alienatione pater feudum a ſe transtulerit. conf. n. 34. ſqq.* Anxie ſe torqvent in conciliando hoc loco, atqve cum TORNOV. *P. 2. p. 92.* eo tandem confugiunt, ut Cothmannum id ſaltem velle dicant, quod feuda noſtra non niſi ſoluto ære alieno revocari poſſint. Miror ſubtilitatem, vel potius cavillationem. Cum primo verba: *neqve juri protimiſeos, neqve aliis juris remediis,* utpote generaliſſima, reſtrictionem non admittunt. Deinde, qvod de non refundendo pretio dicunt, aperte pugnat cum verbis: *juri protimiſeos.* Qvod, qvomodo absqve reſtitutione pretii vel ſolutione debiti locum habere poſſit, plane non intelligo. Conferamus *Vol. 3 Conſ. 31. n. 10,* ibi: *at talis alienatio retractari neqvit,* & expreſſius *n. 38. ſola igitur neceſſitas vel utilitas non facit alienationem feudorum licitam, ſed neceſſe eſt, probari conſuetudinem, quod feuda ſine diſcrimine æri alieno obnoxia ſint, & æs iſtud ex feudis ſolvi oporteat, ſive dominus & agnati in eam rem conſenſerint, ſive non. Nam tali conſuetudine probata,* (quam quidem in Megapoli extra controverſiam eſſe docuit. *Idem citat. ſupra loc.* & TORNOV. aliique.) *Conſequitur, licitam & efficacem feudorum alienationem eſſe, ſine qua conſuetudinem illam vanam & inanem fore, res ipſa oſtendit, quia conſuetudine tali introducta & recepta, cenſetur quoque efficax rerum feuda-* *lium*

*Non diſſentire eundem, oſtenditur ulterius.*

*lium alienatio permiſſa. ſine qua nullus conſuetudinis eſſet effectus. Ibid. n.* 10. *Uno enim conceſſo, nimirum ut feuda æs alienum præſtent, cetera omnia conceſſa cenſentur, quæ inde conſequuntur & ſine quibus id unum, quod conceſſum eſt, alias inutile foret. Vol.* 3. *Conſ.* 23. *n.* 155. *Quare ambigendum non eſt, quin alienatio licite facta fuerit, neque revocari poſſit. ibid. n.* 154. Nec non *Vol.* 1. *Conſ* 2. *n.* 74 & 75, ubi, poſtquam regulam, Vaſallo in præjudicium agnatorum circa feudum nihil licere, firmarat, ſtatim ſubjungit; *Hanc regulam officium ſuum perdere in ea alienatione, quam Vaſallus facit ex juris feudalis diſpoſitione & permiſſione, nam ejusmodi alienatio omnino rata & firma eſt.*

Ex hiſce ſatis, puto, de mente d. Cothmanni conſtabit, quæ contradictionis notam facile effugiet, ſi conciliationem Mevii ſequaris, de qua in fine §. præced.

*An diſſentiat Mevius?*

§. III. Pergo ad *B.* MEVIUM. Habeo eum mihi adſtipulantem in *Conſ.* 38. *n.* 46. *usque ad n.* 102. *nec non Conſ* 39. *n.* 28 *ſq. n* 91. *& multis ſequent.* Huc etiam refer *Conſ.* 4. *n.* 109 *ſq.* Diſſentire eundem putant in *P.* 3. *Dec. Vismar.* 136. Sed male. Cum ibidem de jure protimiſeos agat, quod patet ex verbis: *ſed etiamſi illa ceſſio proceſſerit, in diſtractione agnatis integrum, ante quemlibet alium emtorem feudum pro juſto pretio retinere. Ibid. n.* 7. *Neque enim creditores jam tum in caſu propoſito poſſidebant.* Objiciunt porro ejusdem MEVII *Conſ.* 4. *n.* 119 *ſq.* Sed fruſtra, cum caſus ibidem obveniens non verſetur circa addictionem in concurſu creditorum ſolenniter factam. Obmovent deniqve *Conſ. illius* 80. Verum etiam ſic nihil agunt. Propterea, quod propoſita ibidem facti ſpecies evincat, primo feudum Schwitzel non per concurſum ex familia Negendanckiana exiiſſe, ſed jure venditionis auf die Boverniſſen tranſiiſſe. Utique igitur revocatio vel redemtio agnatis venditoris remanſit integra. Deinde lis inter agnatos venditoris & emtorem orta, per tranſactionem eſt ſopita. Tertio hæc ipſa tranſactio normam decidendi præbuit ſtricte ſervandam. Qvarto concurſus poſtea ſuperve-

perveniens excitatus eſt ab emtore, qui utique plus juris in Creditores ſuos transferre aut cedere non potuit, quam per transactionem dictam illi fuerat relictum. Denique Agnati venditoris addictioni, quæ facienda erat emtoris Creditori, tempeſtive proteſtando contradixerant.

§. IV.Upereſt *B.* TORNOVIUS, quem nihil certi definire ægre fero. Adductis vel relative indigitatis in utramque partem rationibus in medio rem relinquit, ita tamen, ut in meam ſententiam pronior videatur. *P.* 2. *p.* 93 & 94. Hæc de actione revocatoria in ſpecie ſic dicta. Nam quoad jus retractus totus ille meus eſt. *Vid. cap.* 4. *Sect.* 2. §. 5. *in fine.* Ubi poſt dationem in ſolutum ſolennem, quæ fit neceſſario, prævia ſubhaſtatione vel moribus noſtris taxatione, omnem redimendi facultatem præſcindere non dubitat. Imo Cothmanni conſenſum allegat. *An Tornovius?*

Magni igitur hi Triumviri theſin meam non convellunt. Primus non diſſentit. Alter hunc caſum non definit, & quamvis quoad alienationem neceſſariam extra concurſum a ſe ipſo diſſentire videatur *in Conſ.* 4. *n.* 119 *ſq.* eatenus tamen ipſum varietatis exceptio repellit, mea autem theſis, quæ eſt de alienatione in concurſu creditorum neceſſaria & ſolenni, manet per eum inconcuſſa. Tertium, quod ad revocationem, ex capite delatæ ſucceſſionis, hæſitatio arguit, rationes vero ab ipſo propoſitæ redarguunt, idque tanto magis, cum, quod ad retractum, mihi pure adſtipuletur. Quod reliquum eſt, moneo, obſervantiam, quam probo, utut forſan olim non æque unicuique patuerit, ſequiori ævo magis magisque inclaruiſſe. *Vid. Dies & Conſul. in adjunct.* Tum quoque veritas theſeos meæ non ex autoritate, ſed ex probatione conſuetudinis, pendet. Videamus tamen adhuc paucis de rationibus quibus diſſentientes delectantur.

§. V. Illæ autem potiſſimum ſunt hæ. I) Agnatos habere jus quæſitum ex prima inveſtitura, quod ipſis, niſi conſentientibus, facto tertii non intervertendum. MEV. *Conſ.* 38. *n.* 9. *ſq.* II) Jus Vaſalli cum vita exſpirare, adeoque reſoluto *Rationes potiſſimæ diſſentientium.*

 jure

jure dantis, etiam creditorum jus ſolvi, neque adjudicata ultra vitam Vaſalli durare. *Idem C.* 80. *n.* 24. 25. Atque ita III) rem clare eſſe deciſam, per LL. Imperii, verbis: Daß obgleich, ob fractam pacem publicam, jemand ſeiner Güter verluſtig, und ſeine Creditores in die Lehne durch gerichtliche Erkenntniß gewieſen, dennoch nicht länger, dann ſo lange der Lehnmann lebet, die Creditores daran einig Recht behalten. Kayſerl. Land-Friede zu Augſpurg de ao. 1548. tit. Poen der Friedbrecher §. und wann nun die Sachen. Cammer-Ger. Ordn. P. 2. T. 9. §. So jemands Lehn. IV. Æs alienum non eſſe modum amittendi feudi, H. PISTOR. *lib.* 1. *qu.* 15. *n.* 17. V. Conſervationis familiarum habendum eſſe rationem. VI. Commuuem JCtorum doctrinam obſtare. Denique VII. extare præjudicia in contrarium adeoque praxin non eſſe certam. *Sel. Jurid. Roſtoch. faſc.* 3. *pag.* 60. *ſq. n.* 8. - 11. 22. *ſq.*

§. VI. Admodum ſpecioſe (utor verbis MEV. *c.* 38. *n.* 40.) hæc oſtentantur, ſi commune feudorum jus reſpexeris, verum, quoad Pomeraniæ (Megapoleos) feuda, &, quæ de iis recepta ſunt, jura & conſuetudines, ex iis jus revocatoriæ actionis male colligitur, iſtisque cognitis, nemini non apparebit, in eo, qui ſub lite eſt, caſu, actionem non competere.

*Reſpondetur ad argumentum I.* Etenim Rſp. ad argumentum I., $\alpha$, quod verſemur in feudis mixtim hæreditariis, inprimis vero æris alieni patientibus & hinc alienabilibus, quæ quoad æs alienum indeque dependentes effectus neceſſarios naturam allodii retinuerunt. *Vid. ſupr. c.* 1. *§. V.* De his igitur $\beta$, vere dixit *de* BERNSTORF. facilius ab Ariſtotele interpretationem S. Scripturæ petes, quam ex Longobardorum conſuetudinibus earumque commentatoribus feudorum noſtrorum naturam ac jura diſces. *d. Diſp. Sect.* 2. §. 7. Quemadmodum igitur $\gamma$, Brocardica illa, circa feuda ex pacto & providentia recepta: feuda eſſe jura agnatorum propria, item, in iis uni in præjudicium reliquorum nihil licere &c. ad feuda noſtra male applicantur. *Dn.* ENGELBRECHT *in Reſp. Gryph. R.* 35. *n.* 161. *de* BERNSTORF.

d.

*d. D. Sect.* 2. §. 6. & MEV. *Conſil.* 38. *n.* 86. Præſertim cum δ, agnati non primo adquirenti ſed quodammodo ultimo defuncto Vaſallo ſuccedant *vid. ſupr. cap.* I. §. *V.*; Ita ε, ex obſervantia provinciali hauriendum, quousque factum Vaſalli æs alienum contrahentis bonisque cedentis in Agnatorum præjudicium vergat: Id quod ſupra ſatis probatum dedi. ζ Multa ſane in damnum agnati, etiam inviti, Vaſallo permittunt mores feudorumque natura. Conflandi æris alieni ex feudo ſolvendi magnitudinem infinita poteſtas. Huic conſequens eſt alienandi libertas. Remanſit juris revocandi umbra quædam, in alienationibus, vel ſpontaneis, vel privatis, vel certe non adeo ſolennibus: In reliquis vero, ubi urgente neceſſitate ſolenniter in concurſu feudum abdicatur creditoribusque addicitur, per neceſſariam conſequentiam evanuit, vel potius pedem figere non potuit. Solum illud tamen etiam hic reliqui fecit conſuetudo, ut mature veniat agnatus, feudumque ære alieno, ad taxam usque, liberatum in familia retineat & conſervet. Sin hoc facere ceſſat; accedit η, etiam illud, quod non tam a Vaſallo cedente excluſus, quam ſemetipſum excluſiſſe videatur, *juxta* §. *VIII. cap. I.* Dum publice admonitus non venit, ſed feudum dereliquit, & creditoribus addici vel adeo emtorem inveſtiri paſſus eſt.

§. VII. Objectio II. falſiſſima eſt. Nam quod de feudis propriis dicitur, quod uſusfructus inſtar alienari nequeant, & morte illorum jus pereat, id non convenit noſtris feudis, quibuscum ea tranſit obligatio ad ſucceſſorem, quæ obſtrinxit anteceſſorem, nec quicquam ille capit, quod hic non reliquit. *Si hic ex neceſſaria cauſa licite alienavit, ille nihil juris reliquum habet.* Quæ notiora ſunt ac ut prolixiori deductione ulterius egeant. Ita MEV. *d. C.* 38. *n.* 88. *Conf. ibid. præced. n.* 87. Accedit, quod addictio ita ſolenniter facta, moribus noſtris, ſit modus acquirendi dominium irrevocabile, quem conſuetudo ad ipſa feuda, allodii naturam eatenus ſervantia, facile perduxit ac convenienter. *Eliditur Argum. II.*

*Removetur argum. III.* §. VIII. Ad argument. III. illud monuiſſe ſufficiet, quod facile mihi quisque concedet. Non derogare jura Germaniæ univerſalia ſtatutis vel conſuetudinibus provinciarum particularibus, licet hæc illis ſint contraria. STRYK *Uſ. Mod. ff. lib.* 1. *Tit.* 3. §. 8. BOEHM. *Introd. in Jus Dig. lib.* 1. *tit.* 2. §. *ult.*

*Disjicitur argum. IV.* §. IX. Ad argumentum IV. Reſp. Quod non patiar, quæſtionem: An Vaſallus ac agnati per addictionem in ſolutum ſolennem feudo excidant? ex *Tit. Juris Longobard. quib. ex cauſ. feud. amitt.* explicari. Non tantum, quod ex jure provinciali deciſio petenda eſt, ſed etiam, quod *d. Tit. F.* de Vaſallo puniendo agit. Hic vero loquor de caſu, ubi judex a Creditoribus requiſitus eis juſtitiam facit. H. PISTOR. *d. qu.* 15. *n.* 99. Idque ſecundum mores loci, ac rei, in quam ſit executio, naturam. Neque in Megapoli æs alienum per ſe eſt modus tollendi jus ſucceſſionis agnatorum, ſed tamen per conſequentiam accidit, ut revocatio, per addictionem, quam impedire noluere, ſublata, denegetur, accedente tacito vel certe præſumto agnatorum conſenſu. Multa quoque in jure per conſequentiam permittuntur, quæ directo non licent *arg. L.* 195. *ff. de R. J.* HOPP. *in C. ad* §. 4. *J. de Attil. Tut.* & *ad* §. 3. *ff. de Auct. tut.*

*Diluitur argum. V.* §. X. Argum. V. facilis concedo, hoc tamen addito: Ita inſerviendum eſſe conſervationi familiæ, ne a juſtiore alicujus petitione diſtrahatur, ut jubet *L.* 31. *ff. depoſiti.* Jam vero in feudis noſtris jus Creditorum potius eſt jure agnatorum TORN. *P.* 1. *cap.* 3. *Sect.* 1. §. 7. Ubi hunc regulam firmat, eamque extenſive magis, quam reſtrictive, in favorem creditorum accipiendam eſſe ſtabilit. STRYK. *de feud. Pomer. cap.* 2. §. 1. unde ratum eſt, quod ad exſolvenda debita ſit, licet ſucceſſionem agnatorum imminuat aut oneret. *Idem d. l.* Temperemus tamen hanc regulam, ut potior ſit Creditorum ratio in debitis, a Vaſallo contractis quibuscunque, ad quæ, deficiente allodio, ſolvenda obſtringuntur agnati. Contra vero, reſpectu feudi poſſidendi, potior eſt ratio agnatorum, ut mature venientes,

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-155767-p0040-1

tes, ſoluto debito, præ creditoribus illud retineant. Quo non facto, addictione quoque ſubſecuta, iterum potior eſt ratio Creditorum. Neque enim ratio patitur, ut hi magnis ſumtibus, magna plerumque crediti amiſſione, majori etiam incommodo multati, ulterius inquietentur, & jus ipſis quæſitum auffteratur. Adhæc non ſequitur: feudum cenſetur honor familiæ, ergo in præjudicium deſcendentium vel agnatorum alienari non poteſt. Nam & alia bona allodialia avita honorem familiæ concernere videntur, & tamen absque ullius impeditione alienari poſſunt. Prout ex *L.* 35. *ff de Minor.* & *L.* 14. *C. de contrah. emt.* ratiocinatur BERLICH. *d. Concl.* 57. *n.* 8. Cui *add.* COTHM. *Vol.* 4. *Rſp.* 11. *n.* 78 & 79. Neque hoc loco prætereundum eſt illud, feuda ita alienata ac a Creditoribus vendita in aliam plerumque familiam pari nobilitate conſpicuam tranſire, ab eaque longo tempore poſſeſſa eſſe: Cujus adeo æque magni intereſt, poſſeſſiones legitime quæſitas tueri, ne ſuo ſplendori aliquid detrahatur.

§. XI. Ad argum. VI. Reſp. Non venire in cenſum, quid Bartolus tradat, Baldus moneat, communis DD. ſchola teneat, ſed quid ſpeciatim in Megapoli uſu obtineat. Qui diverſum ſtatuunt JCti, non modo per univerſam Germaniam disjecti, vixerunt, ſed Galli etiam, Itali & Hiſpani excitantur: Quaſi vero hi naturam feudorum noſtrorum habuerint perſpectam ac cognitam. Neque tamen conſtat, utra ſententia ſit communior. Ingens ſane numerus a meis quoque ſtat partibus; qui, poſt dationem in ſolutum, quamvis revocationem excludunt. *Vid. alleg. a* PRUCKMANN *Vol. I. d. C.* 4. *n.* 34 & 35. Imo etiam ſatis adhuc controverſum eſſe ſcribit, IDEM *ibid. n.* 70. utra opinio crebriori calculo recepta ſit, illane, quæ filium & agnatum ob ſcientiam (quæ per publica proclamata inducitur) & taciturnitatem ſolam, a jure redemtionis & revocationis removet: An vero illa, quæ præter id aliam quoque declarationem verbo vel facto factam requirit. *Add. etiam Dn.* SCHARFF. *Conſ.* 48. *n.* 30. & *cit. a Mev. d. l. Luder.* MENCKEN *in D. de Retract. fil. gentil. in feud. Th.* 26. *Relegatur argum. VI.*

 *ibique*

*ibique alleg. præjudicata Facult. Jurid. Lipſ.* BRUNNEMANN *Cent. 2. D. 5.* Sit igitur magis amica ratio & veritas conſuetudinis probatæ.

*Satisfit argumento VII.*

§. XII. Ad argum. VII. Multa habeo quæ monerem, niſi meminiſſem, Diſſertationem me, non tractatum ſcribere. Sed paucis me expediam. Non eo inficias, extare quædam reſponſa mihi contraria, etiam ipſius Academiæ patriæ. *Vid. Select. Jurid. Roſtoch. faſc. 3. pag. 59 ſq.* ubi in rationibus decidendi *a n. 22. usque* 33. multa reperies pro parte conſulente erudite conſcripta, quæ tamen ex ſupra ſcriptis facile reſolvuntur. Fit ibidem etiam inter cetera mentio præjudiciorum a Conſulente in actis allegatorum. Verum nihil muto. Siquidem 1, ea, quæ interſeruntur, præjudicata allegantur quidem ſed non probantur, imo, ne ſpecifice quidem nominantur, & 2, ſi probarentur, prævalebit tamen curiæ feudalis obſervantia, quam, quod ſatis eſt, evici. Deinde 3, Reſponſa ad relationem unius partis impetrata non ſunt mihi tanti, ut conſuetudinem convellant. Quamvis enim Collegii Juridici patrii ſancta mihi ſit autoritas, tamen 4, Ejus ipſius Reſponſum in meam partem faciens extare docui ſupra *Sect. I.* §. *III.* Quod longe majus mihi eſt, utpote obſervantiæ curiæ feudalis conſonum. Accedit 5, quod ipſe, conſuetudine ex ipſa curia feudali ſufficienter adſtructa, officio ſatisfecerim meo. Illud tamen moneo, quod 6, neque conſuetudo per actuum legibus conformium frequentiam & temporis diuturnitatem ſemel formata & in eſſe perducta, per unum atque alterum actum eidem contrarium tollatur, neque aliter per talem uſum contrarium abrogata dici poſſit, quam ſi denuo ad introducendum contrariam conſuetudinem neceſſaria requiſita conjunctim concurrant. HARPRECHT *Vol. nov. Conſ.* 16 *n.* 909. BESOLD. *Conſ.* 259. *n.* 40. BOEHM. *Tom. I. P. I. Conſ.* 36. *n.* 72. Alterum, quod moneo, hoc eſt; 7, Ne quis ſibi perſuaſum habeat, ſtylum curiæ feudalis (pro modo conſueto pronunciandi in cauſæ meritis ſumtum *Dn.* QUISTORP. *d. Diſſ. Sect.* 1. §. 14.) ulla ratione labefactari, ſi forte aliqua judicii cujusdam provincialis

cialis ſententia, forſan ab extranea academia petita, contrarium pronunciaſſet. Certum enim eſt, eum, qui præjudiciis contrariis nititur, probare debere, in hoc præciſe judicio ita pronunciatum fuiſſe FARINAC. *Tom.* 3. *D.* 486. *n.* 7. *ſq.* STRYK. *Vol.* 2. *Diſp. Hall. Caſ.* 9. *n.* 16. Id quod 8, in noſtro caſu tanto magis conſiderandum, cum feuda habeant judicium proprium, ad quod cauſæ, ubi de ipſo feudo contenditur, *Vid. Jus Meckl. ac Lub. illuſtr. Cent. I. Judic.* 72. in ſpecie vero actiones ad revocandum tendentes in Megapoli referendæ ſunt TORNOV. *cap.* 3. *Sect.* 5. §. 4. & *cap.* 6. §. 21. Unde ſequitur, ut conſvetudini feudali non deroget, ſi quid forte contra eandem in aliis judiciis judicatum eſſe proferretur. His omnibus *add.* MEV. *conſ.* 38. *n.* 101 & 102. appoſite hanc in rem differens & a me diſputata ſuo confirmans judicio. Quæ cum ita ſint, minus me movet BRUNNEM. *in conſ.* 12. qui totus mihi adverſari videtur: Neque Reſponſum Gryph. 11. apud ENGELBR. prout ipſa ejus inſpectio docebit.

§. XIII. Superſunt aliæ, quæ adferuntur rationes, ſed leviores, quam ut illis immorari placeat.

*Reſpondetur Hartm. Piſtoris.*

Illud autem plane miſerum eſt H. PISTORIS, quo creditores demulcet, ſolatium, inquientis: *Non tamen propterea, quia agnatis jus ſalvum relinquitur, ea, quam in ipſum utile dominium fieri poſſe diximus, executio, effectu caret. Nam donec vivit Vaſallus jure dominii poſſidet feudum creditor & fructus inde perceptos lucratur, & licet, defuncto inde Vaſallo, id ad agnatos devolvatur, nihilominus integra manet actio, qua ab hæredibus poſſeſſoris debitum, cujus nomine feudum fuit adjudicatum, conſequi poſſit, &c.*

Certe noſter caſus ceſſionem bonorum ſupponit, poſt quam debitor perraro hæredes habet, contra quos ſuperſit actio. Longe fortius ſolamen creditoribus affert cum feudorum noſtrorum natura, tum qui circa eadem obtinet mos ac conſvetudo.

§. XIV.

*Concluſio hujus ſectionis.* §. XIV. Ceterum, his ita diſputatis ac firmatis, concludo verbis iterum ex H. PISTORIS *d. qu.* 15. *n.* 150. deſumtis pauliſper tamen immutatis: *Licet ultra ea, quæ hactenus diximus, aliqua ſubtilis ſubeſſe poſſet juris ratio, quæ dubitandi curam alicui afferret; tamen quia non ſolum id ſæpius obſervatum, ac inde multa feuda ob æs alienum publice creditoribus addicta deinde vendita ac diſtracta fuiſſe, omni revocandi facultate agnatis præcluſa, ſed & in hanc ſententiam ſæpius in ſupremo judicio curiæ reſponſum ac judicatum eſſe memini, ideo ea merito in poſterum quoque tenenda erit, &c.* Obſervantia enim, quæ fida eſt interpres, maxime in feudalibus, KLOCK. *Vol.* 2. C. 18. *n.* 14. omne dubium tollit & præciſe ſequenda eſt. CRAVETT. *conſ.* 201. *n.* 11. MEV. *conſ.* 38. *n.* 79. Velut optima ſimilium caſuum deciſio. CRAV. *conſ.* 828. *n.* 11. GOEDD. *Vol.* 4. *conſ. Marpurg.* 26. *n.* 115. & ſtylus curiæ legitimus interpres eſt legum & conſuetudinem. BRUNN. *conſ. ult. n.* 53. & 54.

Propero tandem ad

## Sect. III.

### *Ubi obſervationes quasdam vel explicantes, vel reſtringentes, vel ad caſus ſingulares pertinentes ſubnectam.*

*Quando & quo actu feudum ex familia cedentis exeat* §. I. Defendimus, feudum per concurſum ex familia cedentis exire. Diverſæ autem ejus ſunt periodi. Convocatio creditorum per proclamata. Præcluſio latitantium. Ceſſio feudi, Taxatio, nonnunquam etiam ſubhaſtatio. Addictio per ſententiam diſtributionis, &, quæ, omiſſa ſubhaſtatione vel emtore idoneo non reperto, plerumque poſt eam fieri ſolet, venditio in extraneum. Unde non abs re quæritur: Quonam igitur tempore & quo actu feudum exeat? Salvo rectius ſentientium judicio mihi quidem ita videtur. Per ceſſionem bonorum actualem, feudo ſe abdicat vaſallus poſſeſſor, ac omne jus in eo amittit. Unde Fac. Jur. Roſt. eidem jus protimiſeos negavit.

gavit. *Sel. jur. Roſt. faſc.* 1. *pag.* 218. Quoniam autem ceſſio hæc fit in manus judicis vel ſequeſtris, BRUNNEM. *de proc. Conc. Credit. cap.* 1. §. 6. TORN. *d. Tract. cap.* 3. *S.* 6. §. 3. *pag.* 663. nondum creditoribus ullum majus jus competit in feudo, ac ante habuerunt.

Præcluſio latitantium, quæ in Dicaſterio provinciali demum per ſententiam prioritatis, in reliquis vero judiciis ſtatim, peracto prorſus liquidationis negotio, fieri conſvevit, Dn. DUVE *d. diſſ.* §. 8. etiam jus agnatorum exſtingvit. *Dn.* GUTZMER *d. Diſſert.* §. *ult.* Cum præmiſſæ citationes hos quoque ſtringant. *ſupra Sect. I.* §. IV. Ut tamen, ſatis prægnanti cauſa reperta, reſtitutioni in integrum locus ſit. Nam quod reliquis creditoribus indulgetur, ut beneficio prætoris, pro re nata, contra factam præcluſionem juventur, MEV. *P.* 3. *D.* 48. Idem agnato non debet non licere, præſertim cum hic creditorum nondum adeo interſit.

Per ſententiam denique addictionis in ſolutum & diſtributionis dominium irrevocabile tribuitur creditoribus, & per hos venditores pleniſſima in emtorem ſecuritas transfertur, in cujus perſona feudum fit novum, accedente Domini directi inveſtitura.

*De minoribus, & quidem*

*1) de agnatis tempore concurſus nondum natis.*

§. II. Proximum eſt, ut quæratur de minoribus. Admodum illis faveo, neque tamen ultra terminos §pho præced. poſitos, reſtitutionem concedere ſuſtineo. Diſtincte procedendum erit in rationibus exponendis. De illis, qui pendente concurſu nondum extiterunt, nequidem in utero, poſſet plana res & Domitiana videri quæſtio. Memini tamen eandem aliquando moveri propter *L.* 45. *ff. de minor.* Ibi: *qui, priusquam naſceretur, amiſit.* Verum hæc lex ſupponit caſum, ubi partus tempore læſionis eſſet in utero BRUNNEM. *ad d. L. ibique cit. L.* 7. *de ſtat hom*, quod ad prolem, quæ adhuc fuit in lumbis, porrigere ratio vetat. Majorem dubitandi curam afferre poſſent diſputata ab H. PISTOR. *lib.* 2 *P.* 1. *qu.* 6. *n.* 37. *ſq.* Qui theſin, quod necdum tempore alienationis conceptis tamen revocare liceat feudum, ſerius defendit. Recte

quidem, ſi ad eum caſum reſpiceret ſolummodo, ubi alienatio, non conſentientibus agnatis, contra ſtatuta ac mores, adeoque invalida, proceſſit. Tunc enim ii, qui vixerunt, agnati, jus ſuum revocandi ad agnatos transmiſerunt. Quando vero ulterius progreditur: Feuda in perpetuum alienari non poſſe; Reſtare enim naſcituros, quibus præſentes nocere nequeunt & conſequenter nunquam fore verum, dicere, in alienatione harum rerum conſentire omnes de familia, vel omnes, quorum intereſt, cum res ultra viventes ad futuros extendatur *ibid. n.* 39. Hæc ne quidem de jure communi in feudis propriis ſatis defendi exiſtimo. Utut enim filius ex pacto & providentia majorum ſuccederet, non tamen ſuccedit, niſi per patrem. Quod ſi igitur pater nullum amplius feudum habuit, vel, in alienationem conſentiendo aut renunciando, ſpem etiam ſuccedendi abdicavit, nihil ſane per patrem ad filium potuit devolvi STRUV. *S. I. F. cap.* 11. *theſ.* 16. *in Exeg. n.* 6. *conſ. Tubing. Vol.* 3. *conſ.* 313. *n.* 65 - 70. *conf. ſupr. cap.* 1. §. *VIII.* neque quis amittit, quod nunquam habuit, cum privatio ſupponat habitum *L.* 208. *ff. de R. I.* KLOCK *Vol.* 2. *conſ.* 6. *n.* 11. Ubi vero nihil amiſſum, ibi nihil eſt, quod minori reſtituatur. Multo minus hæc ſententia in noſtris feudis Megapol. conſiſtere poterit, qua ſtante, nulla unquam in perpetuum valitura alienatio pedem figere poſſet. At conſtat contrarium, conf. Project. des M. Lehn-R. Tit. 21. art. 4. & 7. Ergo falſum eſt illud piſtoris problema.

*2) de agnatis tempore concurſus minoribus*

§. III. Quid autem dicendum de agnato tempore concurſus pendentis minore? In caſu §. præced. 1. propoſito facile ipſi beneficium Prætoris concedo. At difficilior eſt quæſtio poſt taxationem vel ſubhaſtationem. magis etiam, poſt addictionem & emtoris inveſtituram. Ubi reſtitutionem concedere non auſim. De ſubhaſtatione ſcripta eſt *L.* 5. *C. de fid. & jur. haſt. fiſc.* Ex qua ſatis liquido conſtat, contra ſubhaſtationem reſtitutioni minorum locum non eſſe. Unde *Dn.* de LEYSER ſcribere non dubitat: *Credere ſe, diſſentientes hanc legem nunquam vidiſſe, in meditat. ad ff. Sp.* 477. *coroll.* 2. ubi

iſtam

iſtam legem dicit optimam & ſecuritati fideique publicæ convenientiſſimam ac ideo merito ſervandam. Quamvis autem ſubhaſtatione non ſemper utamur, recepta tamen ejus loco eſt taxatio. Qua facta, adjudicatio eamdem vim eundemque habet effectum, ac quæ alibi fit cum majori ſolennitate. TORNOV. *cap.* 3. *Sect.* 5. §. 13. MEV. *conſ.* 75. *n.* 20. *Dn.* GUTZM. *d. D.* § 2 *ſq.* Speciatim vero in terminis noſtris minorem non reſtitui contra ſubhaſtationem vel proclama, teſtis eſt IDEM *Diſſ. cit.* § *ult. & de* LYNCKER *Reſp.* 11. *n.* 48 *ſq. add. Idem P.* 2. *Cent.* 10. *Dec.* 964. Idem de feudis pomeranicis & megap. in ſpecie probat & præjudicio confirmat STRUV. *Obſ. feud. ad cap.* 14 *ſynt. J. F.* §. 22 & 26. Poſt adjudicationem non modo creditoribus jus quæſitum eſt firmiſſimum, cum contra, in terminis §pho præced. 1. poſitis, horum non adeo intereſſet, ſed etiam tertii, emtoris ſc. concurrit intereſſe, contra quem, quia is non læſit, reſtitutionem ægre admittunt leges, multo minus, ſi minor non probet, ſibi tunc temporis, cum proclamatio fieret, ſuppetiiſſe facultates ad ſolvendum æs alienum *cit.* de LYNCKER *d. l. n.* 52. *ſeq.* quo non reperto, nulla adeſt læſio, cum neceſſario conſentire debuerit. Nec dici poſſet læſus ob lubricum ætatis, cujus reſpectu tamen reſtitutio tantum indulta eſt. *L.* 1. *pr.* §. 2. *de minor.* BOEHM. *introd. in J. Dig. Tit. de minor.* §. 1. Addatur etiam, ſi placet, §. VIII. cap. 1. ubi docui, etiam illis, qui nec conſentire nec ſemet obligare poſſunt, fictum obſtare conſenſum.

§. IV. Adjudicatio, quæ fit per ſententiam diſtributionis, dicitur etiam addictio, vel ſimpliciter, vel cum addito, in ſolutum. Inde quæritur: *Utrum addictio in ſolutum ſemper ſit revocationis excluſiva?* Non una diſtinctione opus eſt. Separo primo dationem in ſolutum ab addictione. Illam dico, quæ fit, privatim cum creditoribus tranſigendo, atque jus agnatorum non imminuit in revocando. Hæc vero ubique quidem judicis addicentis autoritatem requirit, ſed alia tamen eſt generalis, alia ſpecialis. In illa moribus noſtris idem modus procedendi, ac in concurſu, obſervatur. Dn. DUVE *d. D.* §. 7. *De addictione & datione in ſolutum.*

 ita

ita ut etiam vocabula ceſſionis & dationis in ſolutum, nempe generalis, ſynonymice ponantur *in conſt. noſtra Megap. d. 29. Jan.* 1646. Quare cum hic idem ſit caſus, eademque ratio, circa revocationem exulantem idem obtinebit procul dubio, quod de addictione in concurſu ſtabilivi. Alterius autem ſpeciei, quæ erat addictio ſpecialis, diverſa eſt ratio. Non enim omnia tam ſolenniter expediuntur, ut ſupra adductæ rationes huc trahi poſſent. Imo, ſi ita pars tantum feudi in ſolutum addicitur, ſemper ad revocandum ſupereſt aditus, ut §. ſeq. docebit.

*De addictione pertinentiarum.*

§. V. Etenim reſtringenda ſunt hactenus dicta ad addictionem feudi totius. Si pertinentes quædam particulæ addictæ ſint, nihil obſtat, quo minus revocatio fiat per Reſolut. Sereniſſimi d. 23 May, 1651. quam exhibet TORNOV. *P.* I. *pag.* 653. Tam integer contextus, quam verba ejus initialia. Wegen der adjudicirten particulier-Lehn-Stücken an Bauer-Höfen, Aeckern und andern dergleichen pertinentien &c. ſatis oſtendunt, de particularibus pertinentiarum feudalium adjudicationibus d. reſolutionem, eſſe conceptam. Ratio præterea diſpoſitionis. Alldieweil aber II. FF. GG. als der Lehn-Herrn hohes Mit-Intereſſe hierunter mit verſiret, daß Sie zu Dero unwiederbringlichen Schaden nicht geſtatten können, daß Dero Lehne dergeſtalt perpetuirlich dismembriret und verſtümmlet werden, und verbleiben ſollen, tam particularis ac manifeſta eſt, ut inde nulla ratione inferri poſſit, integra feuda creditoribus addicta perpetuo eſſe revocabilia. Ceterum ex ipſa diſpoſitione elucet, tam ipſi debitori feudum principale, das Haupt- und Stamm-Guht, adhuc poſſidenti, quam emtori totius feudi reluitionem competere.

*Quatenus circa objectum Diſſertationis feuda Pomeraniæ cum Megapol. conveniant.*

§. VI. Feuda noſtra conſtat cum Pomeranis convenire in plurimis. Videamus igitur an & quatenus circa revocationem utraque jura ſibi reſpondeant. In Pomerania, ubi alienatio propter æs alienum imminet, citandi ſunt agnati præfixo termino præcluſivo, ut jus protimiſeos exerceant, vel alienationem permittant; Aut vero ipſis breve tempus ad reluendum

